Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Disqvisitio Academica De Sacerdotibus Ac Levitis Novi Testamenti Sub Antiqvo Foedere Promissis

Krakewitz, Albrecht Joachim von

[Greifswald], [MDCCXXIX?]

VD18 11722126

urn:nbn:de:gbv:45:1-15691

Visual Library

DISQVISITIO ACADEMICA
DE
SACERDOTIBUS
AC
LEVITIS
NOVI TESTAMENTI
SUB ANTIQVO FOEDERE
PROMISSIS,

QVAM
IN PUBLICÆ DISPUTATIONIS MATERIAM
IN ACADEMIÆ GRYPHISWALDENSIS AUDITORIO THEOLOGICO
DIE XIV. MART. A. S. R. MDCCXXIX.
ventilandam
sibi elegerunt
PRÆSES
ALB. JOACH. de KRAKEVITZ,
S.S. TH. D. AC PROF. PRIMARIUS, CONSITORII REGII PRÆSES, ET PER DUC. POMERANIÆ SVECICÆ AC PRINCIPATUM RUGIÆ GEN. SUPERINTENDENS, UNIV. GRYPHISW. CURATOR ATQVE PRO-CANCELLARIUS.
RESPONDENS
GEORG. WILHELM. OVERKAMPF,
GRYPHISW. POMER. S. S. THEOL. STUDIOSUS.

TYPIS Caroli Höpfneri, REG. ACAD. TYPOGR.

Landesbibliothek Oldenburg

Landesbibliothek Oldenburg



PRÆFAMEN.

EXtant in Scriptura Veteris Teſtamenti ejusmodi oracula divina, quæ diſertis verbis docent, quod etiam temporibus *Meſſiæ* futuri ſint *Sacerdotes* atque *Levitæ*. Non permittit Spiritus S. optimus verborum ſuorum interpres, ut antiqvum & dudum abolitum revocemus *Sacerdotium Leviticum*, prouti â Deo illud quondam ordinatum & in Moſaicis ſcriptis delineatum legimus, quia ex quamplurimis tam novi quam antiqui fœderis locis novimus, illud tantum usque ad Mesſiæ tempora durare debuiſſe. Interea, ipſa nihilominus Spiritus Sancti per Scripturam loquentis autoritas & Majeſtas exigit, ut inquiramus, qua mente quave intentione Divinisſimus Spiritus per Prophetas vaticinatus fuerit, de *Sacerdotibus* & *Levitis* ſub œconomia ipſius *Meſſiæ exhibiti* futuris. Sic concordabit Scriptura antiqui & novi fœderis; ſic innoteſcet nobis ſenſus variorum oraculorum Propheticorum; ſic unusquisque intelliget, quid ſui ſit officii, quomodo actiones ſuas ad nutum & voluntatem Sanctiſſimi Numinis debeat componere ſuæque vocationis partibus rite rectèque defungi. Ad quod negotium dum nos accingimus, faventiſſimam Spiritus Gratiæ auram nobis devotisſime expetimus, probe memores, quod ipſius luce & vita deſtituti, hoc, quod jam ingredimur ſpatium, nunquam feliciter emetiri queamus.

Landesbibliothek Oldenburg

§. I.

PLacuit Sanctissimo Numini, diversis temporibus ut & per diversos vates ea prædicere, quæ de *Sacerdotibus* ac *Levitis* Novi Testamenti revelare voluit. Nos omnium primo extantiora hic, & quidem ex versione SEB. SCHMIDII, afferemus Prophetarum loca huc spectantia.

Psalm. CXXXII. 9. *Sacerdotes tui induantur justitia & Sancti tui jubilent.* 16. *Et Sacerdotes eius induam salute & Sancti eius jubilando jubilabunt.*

Es. LXI. 5. *Stabunt vero alieni, & pascent gregem vestrum; & filii aliegenarum (erunt) agricolæ vestri, & vinitores vestri.* 6. *Verum vos Sacerdotes Jehovæ vocabimini, ministri Dei nostri, dicetur vobis: Opes gentium comedetis, & in gloria eorum gloriabimini.*

Es. LXVI. 19. *Ponam inter illos signum, & mittam ex illis evasores ad gentes, Tharschisch, Pul & Lud, trahentes arcum, Thubal & Javan; (in) insulas longinquas; quæ non audiverunt famam meam: annuntiabunt itaqve gloriam meam in gentibus.* 20. *Tum adducent omnes fratres vestros ex omnibus gentibus, munus Jehovæ, super eqvis, & super curru, & super rhedis cameratis, & super mulis, & super veredariis ad montem sanctitatis meæ, Hierosolymam, inqvit Jehova; qvemadmodum adducent filii Israëlis munus in vase mundo (in) domum Jehovæ.* 21. *(Quosdam) etiam de iis sumam in Sacerdotes (&) in Levitas; inqvit Jehova.*

Jerem. XXXI. 14. *Implebo animam Sacerdotum pingvedine; populus autem meus bono meo saturabuntur, dictum Jehovæ.*

Jerem. XXXIII. 17. *Sic dixit Jehova; non excidetur Davidi vir sedens super throno domus Israëlis.* 18. *Ac Sacerdotibus Levitis non excidetur vir à coram faciebus meis; offerens holocaustum & adolens mincham, & faciens sacrificium omnibus diebus.* 19. *Porro factum est verbum Jehovæ ad Jeremiam, dicendo:* 20. *Sic dixit Jehova; si irritum reddideretis fœdus meum, (fœdus) diei, & fœdus meum, (fœdus) noctis, ut non sit dies & nox in tempore suo.* 21. *Etiam fœdus meum irritum fiet cum Davide, servo meo, ut non sit illi filius regnans super throno illius, & cum Levitis Sacerdotibus, ministris meis.* 22. *Sicut non numerabitur exercitus cælo-*

cœlorum, & non mensuratur arena maris: ita multiplicabo semen Davidis, servi mei, & Levitas, ministros meos.

Ezech. XLIV. 10. *Imo, qvod ad Levitas, qvi elongarunt se â mecum aberraret Israël, qvi aberrarunt â me post idola eorum, portabunt iniqvitatem suam.* 11. *Erunt enim (qvidem) in sanctuario meo ministrantes, præfecturis ad portas domus, & ministrantes domui; (sed) illi (tantum) mactabunt holocaustum & sacrificium populo, iidemqve stabunt (tantum) coram illis ad ministrandum illis:* 12. *Propterea qvod ministrarunt illis coram idolis eorum, fueruntqve domui Israëlis in offendiculum iniqvitatis: ideo (namqve) sustuli manum meam super illos, dictum Adonai Jehovi, portaturos iniqvitatem suam.* 13. *Nimirum non accedent ad me ad gerendum mihi Sacerdotium, & ad appropinqvandum ad ulla Sancta mea, ad Sancta Sanctorum, sed portabunt ignominiam suam, & abominationes suas, qvas fecerunt.* 14. *Ideo dabo eos (tantum) custodientes custodiam domus, qvoad omne opus eius, & qvoad omne, qvod fit in ea.* 15. *Sed Sacerdotes Levitæ, filii Zadoki, qvi custodiverunt custodiam sanctuarii mei, qvum aberrarunt filii Israëlis de apud me, illi accedent ad me, ad ministrandum mihi; stabuntq; coram me ad offerendum mihi adipem & sangvinem, dictum Adonai Jehovi.* 16. *Illi intrabunt in sanctuarium meum; & illi accedent ad mensam meam, ad ministrandum mihi custodientqve custodiam meam.*

Ezech. XLVIII. 11. *Sacerdotum (erit) Sanctuarium, de filiis Zadoki, qvi custodiverunt custodiam meam, & qvi non aberrarunt, cum aberrarunt filii Israëlis, sicut aberrarunt Levitæ.* 12. *Erit itaqve illorum Thrumah de Thrumah terræ, Sanctum Sanctorum juxta termiuum Levitarum.* 13. *Levitis porro juxta terminum Sacerdotum* &c.

Malach. III. 3. *Sedebit itaqve conflans & purgans argentum, & purificabit filios Levi, & defecabit eos, sicut aurum & sicut argentum; ut sint adferentes Jehovæ mincham in justitia.*

Tot B. L. observavi in scriptis Prophetarum vaticinia, quæ expressam *Sacerdotum* & *Levitarum* injiciunt mentionem, circa quæ, ut propius ad nostrum accedamus scopum, jam dispiciendum est, an respiciant tempora Messiam antegressa, an vero ipsam Novi Testamenti œconomiam. Eum in finem singula nunc contemplanda seorsim erunt.

§. II. Primus locus erat ex Psalmo CXXXII. Nolumus hac vice de Autore hujus Psalmi secundario sollicite inquirere. Sunt qui *Davidem*, sunt qui *Salomonem* eundem composuisse autumant; utraque sententia suos habet Fautores minime contemnendos. Nobis perinde esse poterit, sive *David*, sive *Salomo*, sive *alius*, quispiam eundem confecerit, sufficit, quod Spir. S. suggerente & inspirante sit conscriptus, & in canonem relatus. Neque inficiari animus est, hunc Psalmum in ipsa templi Salomonei initiatione fuisse decantatum, siquidem hujus asserti veritatem asserere videntur verba 2.Chron. VI. 41. 42. quippe quæ versibus Psalmi nostri 8. & 10. mirum in modum respondent. Omnem ut evitemus prolixitatem, id demonstrare jam nostrum est: Psalmum hunc respicere potissimum tempora Messiæ. Patet hoc ex v. 8. ubi vates animi sui desideria hunc in modum exponit: *Surge Jehova ad requiem tuam: Tu & arca fortitudinis tuæ*, Et v. 9. ubi ita pergit: *Sacerdotes tui induantur justitia: & sancti tui jubilent.* Causa movens petita est â promisso divino, juramento irrevocabili confirmato, de fructu lumborum Davidis thronum Davidis in perpetuum occupaturo. Vid. 11. 12. Jam cogitemus, qualem terminum potissimum habuerit promissio illa Davidi facta, de qua conferri poterit. 2.Sam. VII. 12 - 16. Quodsi forte sensum hujus promissi ex loco citato sufficienter haud poterimus capere, sequentia Novi Testamenti dicta eundem sole meridiano clariorem nobis sistent, Luc. I. 31. 32. 33. Act. II. 30. siquidem ex his dictis satis evidenter apparet, Davidem probe intellexisse: sibi ex semine suo promissum esse Messiam. Quis itaque dubitaret: Autorem Psalmi nostri anhelasse adventum Messiæ, (siquidem in illo solo justitia divina peccatis hominum offensa & exacerbata potuit requiescere;) & ut *Sacerdotes* Dei non amplius incederent vestimentis illis per Mosen descriptis, sed sola justitia induti comparerent, & *sancti* jubilare possent de exhibito omnis sanctitatis & gratiæ fonte. Plus roboris huic nostræ accedit sententiæ, si cum cura & debita cum attentione sequentes quoque quispiam expendat Psalmi nostri versus, in quibus ipsa Divina Majestas piis Psalmistæ votis exoptatissimam reddit precum

suarum

ſuarum exauditionem. Promittitur quippe v. 13. & 14, quod *Zion* æterna futura ſit *Jehovæ requies*, quia Zion, Eccleſia Meſſiæ, cum Capite ſuo Chriſto unita gratiam invenit in oculis divinis per & propter Chriſtum. Promittitur v. 15. quibuscunque egenis omnimoda ſatietas, in ſpecie v. 16. *Sacerdotibus* indumentum *ſalutis ſanctis* jubilum perfectiſſimum, v. 17. quod Deus velit germinare facere *cornu Davidi*, & diſponere *lucernam* unctо ſuo. Certe, quicunque hæc omnia meditatur, & cum Scriptis Novi Teſtamenti confert, minime dubitare poteſt, hunc Pſalmum præcipue delineare ſtatum Novi Teſtamenti. Jucundum omnino eſt, quando Reinholdus Bakius in Comm. ſuo ſtatim circa initium hujus Pſalmi obſervat, quomodo *Canticum Zachariæ*, Johannis Baptiſtæ parentis fere per omnia conſpiret cum hoc Pſalmo. Stant etiam pro noſtra ſententia, præprimis quod v. 17. concernit, Calovius, Geierus aliique. Recentiſſime Dn. D. Rusmeverus, Collega noſter Honoratiſſimus clare ſatis indicavit, ſe â mente noſtra minime alienum eſſe, quando in brevi Expoſ. Pſalmorum 15. adſcenſionum p. 39. §. 14. ita ſeſe explicat: *Eſt hic Pſalmus Iſraëlitarum ad feſta adſcendentium, qvi gratulabundi atq; tripudiantes, partim fauſta qvævis, ex promiſſionibus â Deo factis domui Davidis, propter ædificationem templi curatiſſimam, & miniſtris templi, propter Sanctum ac toti Reip. ſalutare miniſterium, precantur, partim fiduciam ſuam, qvam in præſtitis Davidi de Meſſia, rebusqve aliis, promiſſionibus collocatam habent, teſtantur.* Ceterum unicum adhuc monere placet, quando v. 9. & 17. non tantum *Sacerdotum*, ſed etiam *ſanctorum* vel חסידים ſit mentio, quod per hos nonnulli cum Paraphraſte Chaldaico intelligant *Levitas*, quod etiam Dn. D Rusmevero arriſit, ita tamen ut præprimis reſpexerit ad *Levitas Muſicos*, quorum erat jubilare & cantare. Vid. l. c. p. 42. Campegius autem Vitringa in Libb. de Synag. Vet. Proleg. Cap. VI. p. m. 65. notanter hæc habet: *Alius etiam locus in Pſalmis Davidicis eſt, minime prætereundus.* Pſalm. CXXXII. 9. 16. *Sacerdotes tui induentur juſtitia, & pii tui canent indeſinenter. It. Et Sacerdotes ejus induam ſalute & pii ejus* (οἱ ὅσιοι αὐτῦ. *Notantur Levitæ, in qvorum titulis eſt vox* חסידים, *qvia Dei miniſterio devoti, atqve hinc ſtudioſiſſimi habebantur Summi Numinis,*

minit, ut alibi egregie observatum est à Cl. SPENCERO) *canent perpetuo. Dubium vero non est interpretibus, qvin hic respiciatur ad Ministros Novi Fœderis.*

§. III. Alter locus adductus est ex Es. LXI. 5. 6. Qvisquis hoc caput Esaiæ omni præjudicio seposito legit, illudque confert cum Scriptura Novi Testamenti, haud aliter poterit, quam vaticiniorum in eodem contentorum complementum in œconomia nova quærere. Initialia quod concernit verba, illa in se exhibito impleta esse, ipse Dominus noster JESUS CHRISTUS asseruit. Luc. IV. 17. 21. Ex hoc itaque fundamento etiam reliqua hujus capitis commata ita exponenda erunt, ut justum suum cum præcedentibus inveniant nexum. Qvicquid vero sit de diversis versuum quinti & sexti expositionibus, de quibus interpretes pro lubitu evolvi possunt, istæ nullam hic nobis moram causantur: Siquidem jamjam nihil aliud probare intendimus, quam quod Novum Testamentum etiam habere debeat homines, quos *Sacerdotum* titulo per Esaiam insignire, Spiritui S. placuit.

§. IV. Accedimus ad tertium locum, quem pariter ex Esaia exhibuimus, & quidem ex Cap. LXVI. 19. 20. 21. Vix opus erit, ut antecedentium & consequentium hic habeamus rationem, siquidem verba ipsa ita sunt comparata, ut de alio commode intelligi nequeant tempore, quam de seculis Novi Testamenti. Promittunt enim hæc verba legationem inter gentes, quæ antea famam Dei non audiverunt, nec gloriam ipsius viderunt, amplissimam. Promittunt adductionem gentilium ad montem sanctitatis Divinæ, & quidem in munus Jehovæ. Qvæ sumus Te B. L. Qvis auderet horum promissorum impletionem alibi quærere quam sub œconomia Messiæ exhibiti? Unde & Apostoli passim in scriptis suis tanquam novum quid & inauditum inculcant, quod Gentiles facti fuerint Judæorum cohæredes & participes omnium bonorum Messiæ. Res adeo est clara, ut nulla probatione indigeat, adeoque eo ipso simul evictum est; quod *Sacerdotes* quoque & *Levitæ*, quorum ibidem fit mentio, ad Novum Testamentum pertineant.

§. V.

Landesbibliothek Oldenburg

§. V. Progredimur ad qvartum locum ex Jer. cap. XXXI. 14. depromptum. Conſpirant in eo Exegetæ quam amiciſſime, quod hoc Cap. XXXI. cum præced. XXX. unum eundemque habeat ſcopum, & LUTHERUS noſter in gloſſa marginali ad Cap. XXX. v. 1. ſummam utriusque breviter & nervoſe exhibuit ſcribens: Dieſe 2. Capittel weiſſagen von Chriſto und dem N. T. durchaus. Nos potiora hic indicabimus argumenta. Cap. XXX. 8. promittitur confractio jugi, per quod omnium optime intelligimus jugum legis Moſaicæ, conf. Act. XV. 10. Porro v. 9. ſuſcitatio Regis Davidis. Qvis vero ille, niſi Chriſtus? conf. Ezech. XXXIV. 23. 24. Eadem promiſſio repetita legitur v. 21. in quo Meſſias deſcribitur ut Princeps, ut Dominator, ut Sacerdos & Mediator, Notetur ulterius τὸ אחרית הימים, quo Cap. XXX. clauditur & בעת ההיא, quo Cap XXXI. ſuum cum præcedenti nexum habet. Qvem enim fugit quod אחרית הימים ſit tempus Meſſiæ? Nunc autem בעת ההיא illo ipſo tempore etiam iſta contingent, quorum Cap. XXXI. fit mentio. Et quid opus eſt conquirere argumenta, cum inter omnes conſtet, verba illa, quæ excipiunt verſum decimum qvartum, cujus intuitu modo occupati ſumus, Matth. II. 13. expoſita eſſe de rebus tempore Novi Teſtamenti poſt Chriſtum natum geſtis. Summa proinde animorum confidentia concludimus, v. 14. ſermonem eſſe de *Sacerdotibus* Novi Teſtamenti.

§. VI. Qvintum conſiderationis noſtræ locum accepimus ex eodem Jeremiæ Prophetia Cap. XXXIII. 17. - 22. Hunc vero nobis ſiſtere *Sacerdotes* & *Levitas* Novi Teſtamenti, apertiſſime evincunt proxime præcedentia. Sic enim legimus v. 14. 15. 16. *Ecce dies venientes, dictum Jehovæ, qvibus ſtabiliam verbum bonum, qvod locutus ſum ſuper domum Iſraëlis, & ſuper domum Judæ. In diebus illis & in tempore illo germinare faciam Davidi germen juſtitiæ; facietq; judicium & juſtitiam in terra. In diebus illis ſervabitur Juda & Hieroſolyma habitabit ſecure: hoc autem (eſt nomen ejus,) qvod vocabunt illi: Jehova juſtitia noſtra.* Quodſi enim hæc verba delineant dies Meſſiæ, quis auderet verſus ſeqventes cum modo adductis intime connexis, aliis quam Meſſiæ temporibus vendicare?

§. VII.

Landesbibliothek Oldenburg

§. VII. Devenimus nunc ad loca ex Ezech. XLIV. & XLVIII. allata. Notum est inter omnes, quotquot utriusque Codicis Sacri Scripturas scrutantur, quam remota sit ab omni veritatis specie *Judæorum* sententia, qua tertii alicujus templi structura, juxta ultima vaticinii hujus capita expectatur. Interim cum penes *Christianos* exploratum sit, novem ultima Ezechielis capita delineare ac adumbrare Ecclesiam Novi Testamenti, siquidem meliorem ista hactenus nemo dare potuit interpretationem, hinc donec rectiora edocti fuerimus, licebit præsupponere, utrumque locum agere de *Sacerdotibus* ac *Levitis* Novi Testamenti. Egregie LUTHERUS scripsit in præf. huic Prophetiæ præmissa: Darum ist dis Gebau *Hesekiels* nicht von einem neuen/ leiblichen Gebau zu verstehen/ sondern wie der Wagen im Anfang/ also auch das Gebau am Ende nichts anders ist/ denn das Reich Christi/ die heilige Kirche/ oder Christenheit hie auf Erden/ bis an den Jüngsten Tag. Sed posset aliquis nobis objicere verba LUTHERI proxime sequentia: Wie aber alle Stücke zu deuten und zu setzen sind eigentlich/ das wollen wir sparen bis in jenes Leben/ wenn wir den gantzen Bau allerding bereit und fertig sehen werden. Jetzt/ weil es noch im Bauen gehet/ und viel Steine und Holtz hiezu gehörig/ noch nicht gebohren sind/ schweige gezimmert/ können wirs nicht alles sehen. Ist gnug/ daß wir wissen/ es sey GOttes Hauß/ und sein eigen Gebäu/ darin wir alle sind. Ast huic dubio, quod inde contra nos peti posset, confestim satisfecit incomparabilis LUTHERUS: Wer müßig und lustig ist/ der kan NB. wohl viel drinnen sehen und forschen/ wenn er GOttes Wort und die Sacrament/ mit ihren Kräfften und Wirckungen/ so der Heil. Geist dadurch wircket in der Christenheit/ für sich nehmen und reimen wil/ und die Offenbahrung Johannis kan auch dazu helffen.

§. VIII. Circa ultimum locum ex Malach. III. 3. repræsentatum qui considerat, quod v. 1. non tantum promissus sit *Messias*, sed ipsius quoque Præ-cursor *Johannes Baptista*, & quod â tribus Evangelistis, Matth. XI. 10. Marc. I. 2 Luc. I. 76. VII. 27. hoc vaticinium de modo nominatis personis sit expositum, ei nullum suboriri potest dubium, *filios Levi*, quorum v. 3 expressa fit mentio, ad Novum Testamentum referendos esse. Constat ergo

ex

ex hactenus adductis, scripta Prophetica testari, quod etiam sub œconomia Novi Testamenti existere debeant *Sacerdotes* atque *Levitæ*, sive *filii Levi*.

§. IX. Leviora fuerunt, quæ hactenus allata sunt, siquidem ista omnia propria sua luce gaudent. Ast quæ nunc ulterius excutienda veniunt, curatius poscunt scrutinium. Non enim sufficit scire, quod sub Novo Testamento quoque *Sacerdotes* & *Levitæ* sint aut esse debeant, sed nosse quoque convenit, quinam hisce titulis & nominibus à Spiritu S. per Sacros Veteris Testamenti vates fuerint indigitati, & quæ ratio fuerit, modo hos modo illos ejusmodi denominationibus insignire. Facile erat sub œconomia Veteris Testamenti *Sacerdotes* & *Levitas* dignoscere, ast in hunc usque diem ne quidem sacrarum literarum periti inter sese conspirant, quinam sint *Sacerdotes* & *Levitæ* Novi Testamenti; uti ex mox dicendis apparebit. Absit, absit per omnem modum in arduo hoc negotio alium eligere Doctorem quam ipsum Spiritum S. Hic quippe optimus est verborum suorum interpres. Dabimus itaque operam, ut hujus luce illuminati ea indagemus, quæ mentes nostras firmas ac erectas reddere possunt.

§. X. Omni absque trepidatione adstruimus, tales, quales sub œconomia Legali fuerunt, *Sacerdotes* & *Levitas*, Ecclesiæ Novi Testamenti nunquam fuisse promissos, illorum quippe fuit cultum observare Supremi Numinis præcise ad normam in Lege Mosaica expressam. De hoc vero cultu mere umbratili atque typico non modo Prophetæ testantur, quod abrogandus sit, sed Apostoli quoque ejus abrogationem & cessationem divino urserunt zelo. Conf. ex Veteri Testamento Jer. III 16. Dan. IX. 27. Ex Novo Testamento solam Epistolam ad Ebræos scriptam allegasse satis erit. Siquidem hujus epistolæ Autor totus in eo est, ut demonstret, *Sacerdotium Leviticum* nullum amplius in Ecclesia Christi invenire locum. Graviter omnino sonant verba Cap. VII. 11. *Siquidem ergo consummatio per Leviticum Sacerdotium erat, populus enim super eo legem accepit, quæ adhuc necessitas, juxta ordinem Melchisedeci alium surgere Sacerdotem, & non secundum ordinem Aaronis dici,*

12. *Translato namqve Sacerdotio ex necessitate etiam legis translatio fit.* It. v. 18. *Abrogatio qvidem enim fit præcedentis mandati propter infirmitatem & inutilitatem eius.* 19. *Nihil enim consummavit lex: superinductio vero melioris spei, per qvam appropinqvamus Deo.* Nihil proinde nobis negotii est cum *Pontificiæ* Ecclesiæ Doctoribus, qui exadductis Veteris Testamenti promissionibus evincere allaborant, quod in Novo Testamento *veri* sint *Sacerdotes*, qui sacrificia *vere* & *proprie* offerant. Vid. BELLARMINUS *lib. 1. de Missa cap. 9.*

§. XI. Si nostræ Ecclesiæ Theologos & Exegetas evolvimus, observare licet, quod in eo plerumque conveniant, statum Novi Testamenti multoties delineari verbis & phrasibus in Veteri Testamento usitatis, non vero secundum apicem literarum intelligendis, sed potius secundum indolem & naturam Novi Testamenti exponendis. An vero *Sacerdotes* & *Levitæ*, quos in Novo Testamento extituros prædixerunt Prophetæ, tantum denotent *ordinarios Ecclesiæ ministros*, an quoscunque *Christianos* vere tales, quos *spirituales* dicere solemus *Sacerdotes*, an vero utrosque? in eo variant interpretes. Audiamus nonnullorum expositiones, & quidem eo ordine quo nobis in manus venerunt, ita tamen, ut retineamus seriem locorum Biblicorum.

§. XII. Ad locum Psalm. CXXXII. 9. REINH. BAKIUS ita commentatur: *Progreditur Salomon ad Sacerdotes, iubetqve orare populum, ut Deus fidos operarios,* NB. *in messem suam magnam extrudat,* Matth. IX. 38. - - *Habebant sane Sacerdotes Vet. Testam. externum suum ornatum valde egregium* - - *Sed qvia Leviticus ille Sacerdotum ornatus, sub Christo, qvem præfigurabat, cessare debebat, ideo alium Salomon hic depingit, induantur Sacerdotes tui sanctimonia, justitia & salute.* Deñ der wahre Kirchen-Schmuck bestehet nicht in äusserlichen Gold und Pracht/ sondern er beruhet auf inwendigen Schmuck des Hertzens. : : *Qva depingitur non omnimoda in ministris ecclesiæ sanctitas, omni prorsus nævo carens; talis enim nullibi reperitur, & male docuerunt* Donatistæ, „*docentqve etiam* Pontificii, Sacramentorum integritatem ab in„tentione ministri dependere, *qvæ sententia omni nos solatio privaret, cum de sufficienti Sacerdotis intentione nobis nullo modo constare possit, sicqve perpetuo dubitandum foret de efficaci baptismate* &c. *Sed*

justi-

justitiam, qvalem Salomon velit, permutatione particulæ, salutis, *docet*: Das Wörtlein **Heil** betrifft das selige **Gedeyen**/ welches GOtt zum wahren Tempel-Dienst/ gnädigst geben und verleyhen wolle/ daß durch die reine Lehr und **rechten Dienst der Priester**/ betrübte Hertzen getröstet/ an der Seelen erfreuet/ zeitlich und ewig genesen/ und vermittelst **des Lehr-Ampts**/ zur Gerechtigkeit/ Heil/ Leben und Seligkeit gelangen mögen/ wolle GOtt den Priestern geben/ dermaßen reichlich/ als wenn sie gleichsahm mit Heil gegürtet/ und mit Gerechtigkeit allerdings umbgeben oder bekleidet wären. *Sacerdotes igitur* salute *vel* salutari *induuntur, qvando recte docent, ad solum Christum auditores suos deducunt, iubentqve ab eo solo* salutem *qværendam, sperandam & expectandam esse.* Alia placuit JOHANNI ARNDTIO expositio in der Auslegung des gantzen Psalters Davids. Hic enim ad verba: Deine Priester laß sich kleiden mit Gerechtigkeit ꝛc. sequentia habet: In diesem schönen Sprnch machet der heilige Geist **alle Gläubige**/ die in die heilige Wohnung GOttes gehen/ d. i. die in CHristo JEsu seyn und leben/ zu **geistlichen Priestern**/ die im Nahmen CHristi ihr Gebeth opffern/ dieselben schmücket Er mit einem köstlichen himmlischen Schmuck/ mit Gerechtigkeit und Freude. Similia reperiuntur ad v. 6. Die 6te Art und Eigenschafft des Reichs Christi/ ist spirituale sacerdotium, ein geistliches Priesterthum. Ita quoque PHILIPPUS HENRICUS FRIEDLIBIUS *in Observ. Bibl. qvæst. 58. ad h. l.* per *Sacerdotes* intelligit omnes pios, qui sunt electum sacerdotium 1. Petr. II. 5. 9. SAMUEL BOHLIUS *in Analytica Paraphrasi Psalmorum* v. 9. sic reddidit: Lasset die Priester ihre heilige Kleider anlegen/ mit welchem sie in ihrem Ampte die Gerechtigkeit und erworbenes Heyl des Meßiä abbilden/ lasset darauf die Leviten ihre Stimme erheben/ und alles Volck jauchze/ und sey frölich für dem GOtt unsers Heyls. Et v. 16. Ihre Priester wil ich mit Heyl kleiden/ daß sie rechte Lehrer seyn sollen/ aus welcher Mund und Wercke/ das Volck soll ihres Heyls Grund lernen/ daß sie also allesampt/ wenn sie sehen werden/ mit was grossen Wohlthaten ich sie überschüttet habe/ mit Freuden und Lobgesängen mich preisen sollen. Paucis addimus, quod idem hic BOHLIUS v. 17. & 18. exponat de Messia venturo ejusdemque statibus tam exinanitionis

quam exaltationis. Sed hæc sufficiant quoad præsentem locum, siquidem ex adductis jam abunde constat, quomodo interpretes in diversa abeant.

§. XIII. Locum Es. LXI. 6. SEBASTIANUS SCHMIDIUS sua ex mente enucleans scribit: *Sic manet, quod non immerito urget* D. BRENTIVS ex 1. Petr. II. *quod omnes fideles N. T. Sacerdotes sint & ministri. Quanquam enim in ordine doctrinæ discrimen sit in ecclesia, docendi tamen potestas totius ecclesiæ est, & omnis Christianus, ubi occasionem habuerit, docere debet errantes.* Ita quoque ANDREAS PRUCKNERUS *in Vindic. ad h. l.* inquit: *Esaias non loquitur de ministris Ecclesiæ singulariter, sed communiter de omnibus fidelibus, qua de re 1. Petr. II. 9. & Apoc. I. 5. Nam apud Esaiam, qui non sunt Sacerdotes appellandi, illi dicuntur alieni, & filii peregrinorum, v. 5. Itaq; distingvit hos Sacerdotes, non à reliqvo populo sed à reliqvo mundo.* Jungimus hisce nostræ Ecclesiæ Theologis RODOLPHUM GVALTHERUM, Ecclesiæ Tigurinæ quondam Antistitem, qui in Homiliis suis in Esaiam v. 5. mentem suam sic exposuit: *Stabunt alieni* &c. *De gentibus conversis agit, ex qvibus proditurі sint, qvi Pastores, agricolæ & vinitores sint in Ecclesia. Factum hoc, adeo ut post Apostolos plures Doctores ex gentibus fuerint, qvam ex Judæis.* Versum autem 6. quoad verba: *Vos autem Sacerdotes;* hunc in modum interpretatur: *De Apostolis potissimum hoc dicitur, & propter hos de Judæis, ex qvibus oriundi fuerunt, & qvibus aliqva debetur prærogativa. Interim pertinet ad omnes Christianos.* Vid. *Apoc. I. 5.*

§. XIV. Qvoad alterum Esaiæ textum Es. LXVI. 21. quid Theologi nostri sentiant, ipsorum verbi pariter indicabimus. ANT. PRUCKNERUS *in Vindic. h. l. Verba,* inquit, *Esaiæ non sunt accipienda proprie & stricte, alias enim sequeretur, adhuc durare Sacerdotium Leviticum, idqve ex Gentibus esse constituendum, qvia Propheta dicit, assumendos esse ex eis Sacerdotes Leviticos, id qvod absurdum: Verum metaphorice & figurate exponenda de præconibus Evangelii, qvi Sacerdotibus Leviticis erant successuri. Prophetæ enim verbis V. T. vaticinantur de rebus N. T.* Adducit pro hac expositione etiam HUTTERUM & GERHARDUM. JOHANNES QVISTORPIUS *in Annotationibus ad h. l. Sermo est,* inquit, *ut ex v. 19. & 20. patet, de Ecclesia N. T. ex Judæis*

dæis & gentibus colligenda, ex iis se dicit accepturum Sacerdotes & Levitas. Non, qvod veri Sacerdotes & Levitæ eo tempore futuri sint, qvando tribuum discrimina, & omnia sacra cessabunt; sed ministeria Ecclesiæ N. T. verbis eo tempore, qvo Propheta hæc scribebat, usitatis describit. Quæ SEBASTIANUS SCHMIDIUS suis in Annot. huc spectantia habet, sunt sequentia: *VII. vocat gentes conversas, sicut supra qvoqve v. 5. vocavit, fratres, qvi prius odio eos habuerint. VIII. Ex iisdem etiam fecit Sacerdotes & Levitas, abrogato Sacerdotio Mosaico. Nam etiam ex gentibus egregii Doctores extiterunt. Hic nobis genuinus sensus videtur & cohærentia.* Unicum adhuc ex nostris addamus, VINCENTIUM SCHMUCKIUM, Theologum quondam Lipsiensem, qui in Prælectionibus ad h. l. ita disserit: *Alterum beneficium, qvod in novos Christianos conferet Dominus, est dignitas Sacerdotalis, qvæ antea Israëlitarum tantum, & qvidem unius tantum tribus erat propria. Nunc autem omnium erit communis, & in gentes qvoqve transferetur. Qvin ex eis, (inqvit v. 21.) assumam in Sacerdotes & in Levitas, dixit Jehova. Atqve his verbis iterum significat abrogationem veteris Sacerdotii, qvia si ex gentibus Sacerdotes erunt constituendi, necesse est legem Mosis interire. Porro Sacerdotes hodie sunt in genere omnes Christiani, in specie autem docentes in Ecclesia, & imprimis Doctores & Antistites celebriores, qvales olim fuerunt Patres Orthodoxi, Ambrosius, Augustinus, Cyrillus & alii, & nostro seculo D. Lutherus, & hujus paræstatæ & fideles assectæ, Ecclesiæ lumina. Levitæ autem sunt horum Comministri, & qvi in Scholis etiam juventutem instruunt, sicut Levitæ serviebant Sacerdotibus in peragendis sacris. Horum ministerium porro dicit futurum perpetuum, usqve ad mundi finem scilicet, nec iterum mutandum, sicut Leviticum Sacerdotium mutatum fuit v. 22.* Placet quoque ex Reformatæ Eccl. Theologis adducere. DAVID MARTIN *in Annotationibus ad Bibl. Gallico idiomate anno 1707. Amstelodami in fol. ed.* sic loquentem: *C'est à dire, pour les faire les ministres de son eglise, comme il a été dit sur le v. 19. mais ils ont été marqués ici par les noms de Sacrificateurs & de Levites, parceque c'etoit seulement sous ces deux noms, qu'etoit compris anciennement tout le Ministere Ecclesiastique, & qu'il étoit ordinaire aux Prophetes, de prendre de ce, qvi se pratiqvoit de leur temps les noms & les idées des predictions, qvi regardoient Evangile.* Ad Sacerdotium Spirituale inclinat JOH. COC-

cejus, quem evolvere poterit, cui volupe est. Inter Pontificios Cornelius à Lapide intelligit Diaconos aliosque Ecclesiæ ministros. *Olim*, addens, *soli Judæi, imo soli ex tribu Levi oriundi, poterant esse Sacerdotes & Levitæ. At Christus ex omni gente eos elegit. Ergo non omnes Christiani sunt Sacerdotes, uti vult Kemnitius, hos enim nemo sanæ mentis dixerit, ex Christianis seligi & assumi.* Tandem subjungimus Hugonis Grotii sententiam, quam more suo habet plane peculiarem ad verba: Et assumam ex eis in Sacerdotes & Levitas. *Ex illis Judæis, qvi apud gentes externas bello capti servitutem servierant: qvasi dicat: non obstabit illis ista, non ipsorum culpa, sed ex bellica fortuna tolerata calamitas.* Qvæ ut eo facilius intelligantur, observamus: Grotium in his & præcedentibus non agnoscere vaticinium, quod se ad tempora Messiæ extendat, unde non mirum, quod de Sacerdotibus & Levitis proprie sic dictis talem sibi sensum formaverit.

§. XV. Sed pergendum est ad Jer. Cap. XXXIII. 18. Johannes Förster us, Theologus Wittebergensis, postea Generalis Ecclesiarum Mansfeldicarum Superintendens in Comm. suo, paucis quidem sufficientibus tamen verbis, Prophetæ hujus mentem per versus 14. 15. 16. 17. & 18. exponere annisus fuit: *Ecclesiæ tria beneficia spiritualia fere cardinalia spondentur.* 1. *Christi in carnem missio.* 2. *Regni ejus instauratio.* 3. *Ministerii Evangelici perpetua conservatio. Utitur Propheta more Prophetis usitato, phrasibus à ministerio V. T.* i. e. *Sacerdotio Levitico mutuo sumtis.* Longe aliter Georgivs Calixtvs in Schola Prophetica, ibi enim sensum v. 18. ita repræsentavit: *Hæc qvidem junctim, tam de Sacerdotibus terrenis, (reversi enim sunt, ad ritus suos post solutam captivitatem Levitæ,) qvam spiritualibus,* i. e *omnibus Christianis intelligi possunt, potissimum tamen de his. Omnes enim in Ecclesia offerunt Deo spiritualia sacrificia, unde & Sacerdotes dicuntur. 1. Petr. II. 9.* Omnem omnino meretur attentionem Seb. Schmidivs, qui cohærentiam hujus & præcedentis versus observans confestim prodit, quid sentiat. *Qvemadmodum enim,* inquit, *versus præcedens promisit perpetuum regnum; sic hic perpetuum Sacerdotium.* Ne vero aliquis dubitandi argumentum peteret ex præfixo ל in voce ולכהנים, siquidem in voce לדויד v. 19.

Dativi

Dativi nota fuerat; existimat, illud hic non Dativi notam esse, sed significare, *Qvantum ad*, & mentem suam hisce declarat verbis: *Discrimen hoc videtur esse, qvando dicitur: Non excindetur Davidi vir, non tantum promittitur æternum regnum, sed simul etiam Familiæ Davidis tribuitur: qvando enim dicitur; Qvantum ad Sacerdotes Leviticos, Sacerdotium qvidem æternum promittitur, sed qvod successorem qvidem post Sacerdotes Leviticos habeat, non tamen ex familia eorum, neqve juxta ordinem Aharonis, sed juxta ordinem Melchisedek.* His itaque præmissis, adducit quidem expositionem *Sanctii*, qui more Pontificiorum intelligit Sacerdotes proprie dictos sacrificium Missaticum in Novo Testamento offerentes; It. *Judæorum* commenta de Sacerdotio Aharonico Messiæ temporibus restituendo; Item eorum sententiam, qui Sacerdotes spirituales h. l. significari autumant; tandem vero plenius propriam suam, tradit: *Si Lamed verterimus, ut sit; Qvantum ad Sacerdotes Leviticos, Sacerdotes V. T. omnino intelligendi sunt: qvibus vero neq; ejusdem generis Sacerdotium promittitur, sed successio Antitypica abrogans typicam. - Hac ratione vir, qvi non excindendus, successor, non sunt plures sibi invicem succedentes, sed unicus, qvi in perpetuum mansurus, nimirum Christus.* Ex his, quamvis plura apud SCHMIDIUM inveniantur, sensum magni hujus Exegetæ abunde constare existimo. Neque opus erit plures hic adducere, nisi GROTII quoque sententiam nosse quispiam cupiat. Illa autem hæc est: *Qvanqvam reduces plerique erunt ex Juda & Benjamine, tamen etiam numerum sufficientem Sacerdotum & Levitarum non defuturum, qvi sacra curent.*

§. XVI. *Ezechielis* locum quomodo interpretes intelligant, brevitatis studio hic intactum relinquimus, inprimis, quia pauci sunt, qui in eo curatius exponendo suam impenderunt operam. Qvæ tamen & quidem ex mente HAFENREFFERI nostro usui inservire poterunt, infra commodiori loco afferemus. Saltum proinde facimus ad Prophetiam *Malachiæ*, qui, uti supra percepimus, Cap. III. 3. prædixit, quod tempore N. T. *filii Levi* purgandi sint. Recentissime Dn. D. GEBHARDI, Collega noster Honoratissimus, suam in Enucleatione hujus Proph. nobis exposuit mentem, quam ex sequentibus ipsius verbis cognoscimus:

mus: Diese Jüdische Kirche wil nun der Sohn GOttes reinigen / d. i. von ihren falschen Lehr-Sätzen und sündlichen Lebens-Gewohnheiten saubern / daß sie wieder zu einen unverfälschten Silber werde. Dis war die Absicht des Ministerii Christi. Weil aber diese Verderbniß der Lehre und des Lebens / am meisten durch die Schläffrigkeit der Priester und Leviten in Juda eingeschlichen war / so wolte er auch an deren Sauberung absonderlich arbeiten. Dis wird durch das Vav im ומיהר angedeutet / **absonderlich wird er reinigen die Kinder Levi.** Die waren zuvor in der Jüdischen Kirchen mit begriffen / aber weil ihr Exempel einen grossen Nachdruck zur Bekehrung des Volcks geben konte / so wolte sich der HErr ihre Reinigung vornehmlich angelegen seyn lassen. Er wil sie läutern / die Hefen von ihnen wegthun / wie Gold und Silber geläutert wird. In vorhergehender propositione, da von der gantzen Jüdischen Kirchen insgemein gedacht wurde / wurde sie **Silber** geheissen. In dieser wird dem **Silber** das **Gold** hinzugesetzet / um damit anzudeuten / daß / so viel die Leviten über die übrigen Stämme / der Würde nach erhaben wären / desto mehr sie sich auch bemühen solten / daß sie die andere Stämme an Gottseligkeit und Tugend überträffen. Wie nun Gold und Silber durchs Feuer von Schlacken gereiniget wird / so sollen auch Priester und Leviten umgeschmoltzen / und gleichsahm in ein gantz andere Form gegossen werden ꝛc. POLYCARPUS LYSERUS, in aula quondam Electorali Saxonica Proto-Ecclesiastes, cum adhuc in Academia Wittebergensi Professorem ageret, prælectiones habuit in Prophetas minores, quas anno hujus seculi nono è Manuscr. eruit Pro-Nepos ejusdem nominis, Ecclesiarum Ducat. Calenb. Sup. Gen. In his prælectionibus quoad nostrum Malachiæ locum per *filios Levi* non solum intelligit *Levitas & Sacerdotes Judaicos, sed omnes quoq; Christianos, qui & ipsi sunt Sacerdotes coram Deo per & propter Christum facti.* Extat quoque Commentarius in Proph. minores & quidem JOHANNIS SCHMIDII cum FRIDERICI BALDUINI Commentario in tres posteriores Prophetas, ex quo intelligimus, BALDUINUM eandem de filiis Levi tenuisse sententiam, quam supra ex GEBHARDO nostro adduximus. Addit vero, Christum hoc inprimis feciſſe Disputationibus suis, quas cum Pharisæis habuit de recta interpretatione Legis Matth.

V. VI,

V. VI. & XXIII. Idem postea in *Observat.* ad v. 3. subjicit: *Quod hic in specie dicitur de purgatione filiorum Levi, in genere pertinet ad Christianos omnes. Hi enim sunt Levitæ N. T. regale Sacerdotium - - Hanc purgationem Christus ipse facit, licet ministerio verbi prædicati & Sacramentorum fiat; ideo dicitur hic sedere in templo suo & purgare filios Levi: Vnde cum discipuli ipsius baptisassent Joh. IV. 1. baptisasse dicitur Joh. III. 22. & qvi discipulos ejus audiebant, ipsum Jesum audiisse dicebantur. Luc. X. 16. id qvod inprimis ad commendationem Sacrosancti ministerii facit, qvod non hominum sed ipsius Dei officina est.* Paucissimis JOH. QVISTORPIUS suam ad v. 2 & 3. absolvit annotationem, scribens: *De efficaci Evangelii ministerio in peccato expurgando loqvitur.* De cetero lectorem remittit ad AUGUSTINUM *de Civit. Dei Lib. XX. cap. 25. 26.* Hunc evolventes, reperimus, quod per filios Levi, Juda & Jerusalem, intellexerit ipsam Dei Ecclesiam ex omnibus gentibus congregatam & per judicium novissimum purgatam. JOHANNES TARNOVIUS dictum nostrum exposuit his verbis: *Messias adveniens purgabit filios Levi, omnes in ministerio verbi constitutos a scoriis doctrinæ pravæq; vitæ repurgabit, vid. Matth. V. VI. VII. XXI. XXIII. eapp. Joh. II. III VIII. defecans eos velut aurum & argentum, ut sint Jehovæ qvi offerant munus juste, nempe* λογικὴν λατρείαν, *Rom. XII. 1.* πνευματικὰς θυσίας, *1. Petr. II. 5. ut ita, qvod solenne est Prophetis, phrasibus V. T. res N. T. describantur, & nomen figuræ tribuatur rei figuratæ. Filii enim Levi in V. T. erant umbra ministrorum verbi in N. T. & sacrificia illa Christi ac Christianorum cultus, qui sunt Judæi spirituales, & Ecclesia superna qvædam Jerosolyma, unde sq. v. munus Jehudæ & Jerosolymorum fit mentio, verum eo, qvo dixi, modo.* Tandem, quæ ABRAHAMO CALOVIO in Bibl. illustratis arriserit expositio, videbimus. Hic postquam TARNOVIANAM recitaverat sententiam mox de suo sequentia adjecit: *Non ergo restringendi filii Levi ad Barnabam & alios, qvorum fit mentio in Actis Apost, ut à Theodoreto factum videtur, nec ad omnes Christianos, qvi regale sunt Sacerdotium, cum Aria extendendi, sed cum Hieronymo, Ruperto, Remigio, Haymone, Alberto, Hugone, Lyrano aliisqve, intelligendi omnes ministri verbi, non excluso ministerio Judæorum Levitico, quod imprimis repurgatum cupiebat, etsi plerosqve frustra purgaret.* Ex Reformatis eandem fo-

vit sententiam NICOL. ARNOLDUS. Vid. ipsius Lux in tenebr. ad h. l.

§. XVII. In tanta interpretum differentia incerti, dubii ac suspensi hæreremus, si ab hominum autoritate nostrum penderet judicium. Qvid autem hic consilii? Qvid agendum, ut inveniamus, in quo tuti requiescere possimus? In memoriam nobis redit, quod ANDR. LUDOV. KÖNIGSMANNUS in præf. ad Prodromum Clavis Propheticæ, anno hujus Sec. duodecimo publicatum, scripsit: *Qvi modo lingvam callet Hebraicam & Græcam, & statum novit diversarum, qvibus lex & gratia dispensata fuit, œconomiarum, probeqve ubivis attendit loqventi Deo, is cetera omnia intelliget facile. At imagines ab his discernere legitime, & ex re ac vero ita explicare, ut non ipse solum certus sis de sensu Spiritus S. sed & alios justa convincere demonstratione feliciter qveas, hoc opus, hic labor est. Neq; enim id ipsum, qvod dicitur, sed aliud intelligendum, neqve tamen qvidqvam indulgendum est nostræ imaginationi, sed menti inhærendum est ipsius Dei, institutoqve Prophetarum, etiamsi nobis nulla conveniendi ratio forte appareat, cunctaqve ex genio populorum, ad qvos conversa oratio fuit, & ex ratione œconomiarum argumentorumq; diversitate æstimanda.* Faciamus itaque hac via, hac methodo, periculum: An metam attingere vale mus.

§. XVIII. Jam supra demonstratum est, vaticinia ex Prophetarum penu d prompta respicere ad tempora Messiæ, adeoque ad œconomi m Novi Testamenti. Hæc vero, uti nobis equidem constat, non admittit *Sacerdotes* & *Levitas* proprie sic dictos, quicquid etiam reclament *Pontificiæ* Ecclesiæ Doctores, quorum argumentis dudum â nostratibus satisfactum est. Qvodsi enim ipsa cessavit œconomia, quæ mere typica fuit, necessum est, ut quoque cessent, qui illius fuere ministri. Interim, cum populus Judaicus vel Israëliticus, ad quos Prophetæ suos olim dirigebant sermones, de *Sacerdotibus* & *Levitis* satis erant convicti, Deum hos sibi elegisse, ut publicum in tabernaculo Mosaico & postea in templo divinum observarent cultum, eidemque rite rectèque peragendo sua consecrarent ministeria; necessum est statuere, Deum per Prophetas loquentem, quoties *Sacerdotum* &

Levi-

Levitarum sub œconomia Messiæ futurorum meminit, etiam intellexisse publicos & ordinarios ministros, qui sub hac œconomia Deo & Ecclesiæ N. T. inservire debuerunt. Hoc enim nisi indigitare voluisset, cur toties ad Regnum Messiæ adumbrandum usus fuisset hisce *Sacerdotum* & *Levitarum* titulis atque nominibus? Habebat sub œconomia Legali typica, Summus Sacerdos, qui typus erat Summi Sacerdotis Domini Nostri JESU CHRISTI, suos ministros, Sacerdotes non minus quam Levitas, suis quidem ordinibus, suisque officiis distinctos, in eo tamen omnes mirum in modum conspirantes, ut exequerentur ea, quæ tunc temporis in publicis sacris exequenda erant. Quid itaque convenientius, quam sub imagine *Sacerdotum* ac *Levitarum* quoque illos adumbrare, qui aliquando sub œconomia gratiæ, hujus dispensatores, Summique Pontificis JESU CHRISTI futuri erant ministri? Quisquis ab omni præjudicio immunis hæc pensitat, vix alium sibi poterit formare conceptum, inprimis si consideret, in œconomia antitypica tales inveniri homines, qui ex universo Christianorum cœtu evocati sunt, ut præ reliquis omnibus sacrorum mysteriorum divinorum curam gerant, & proinde modo plane peculiari JESU CHRISTI & Ecclesiæ ministri audiunt. Novimus quippe, quod Dominus noster JESUS CHRISTUS certum sibi elegerit Apostolorum ac discipulorum numerum, à reliquis suis credentibus distinctissimum, qui propterea etiam Lucæ I. 2. *ὑπηρέται τῦ λόγυ ministri sermonis vel verbi, vocantur.* Hic numerus, Ecclesia JESU CHRISTI, quæ passim in Scriptis Novi Testamenti ipsius *domus*, ipsius *templum* salutatur, indies magis magisque amplificata, mirum in modum auctus atque extensus est. Conf. 1, Cor. XII. 27. 28. *Vos estis corpus Christi & membra ex parte. Et hos quidem posuit Deus in Ecclesia primo Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, postea dona sanationum, opitulationes, gubernationes, genera lingvarum.* Et ad Eph. IV. 10. 11. 12. *Qvi descendit, idem est etiam qvi ascendit supra omnes cœlos, ut impleret omnia. Idem vero dedit alios qvidem Apostolos; alios vero Prophetas; alios vero Evangelistas; alios vero Pastores & Doctores, in instaurationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis*

poris Christi. Dignum quoque erit omni attentione, quod ministerium Apostolis virisque Apostolicis concreditum, in Scriptura N. T. sæpissime vocetur διακονία. Conf. Act. I. 17. 25. XX. 24. Rom. XI. 13. 1.Cor. XII. 5. 2. Cor. III. 8. circa quem locum notari meretur, quod utriusque Testamenti ministerium in hoc capite vocetur διακονία, & quidam ministerium V. T. v. 7. ἡ διακονία τῦ θανάτυ ἐν γράμμασιν, ministerium autem N. T. ἡ διακονία τῦ πνευματος, item v. 9. illud dicatur ἡ διακονία τῆς κατακρίσεως, hoc vero ἡ διακονια τῆς δικαιοσύνης salutetur. Porro observare licet ex ejusdem capitis v. 6. quod ministri N. T. dicantur διάκονοι καινῆς διαθήκης ὐ γράμματος, ἀλλὰ πεύματος, & Cap. VI. 4. διάκονοι Θεῦ, item Cap. XI. 23. διακονοι Χριςῦ. Similiter *Tychicus* ad Eph. VI. 21. vocatur πιςὸς διάκονος ἐν κυρίῳ. Neque omittendum, quod verbum διακονεῖν *ministrare* frequentius usurpetur de iis, qui verbum divinum prædicarunt tempore N. T. & sacramenta administrarunt. Act. XIX 22. 1. Tim. III. 10. 13. Conveniunt itaque in hoc conceptu generico quam optime Sacerdotes Veteris & N. T. quod ministraverint Deo atque ecclesiæ. Nec video, quid impediat dicere, כהנים *Sacerdotes* Veteris Testamenti vi nominis sui æque ac ratione officii consideratos fuisse ut *ministros.* Quem enim latet, nomen כהן, ortum suum habere â verbo כהן quod significat *ministravit.* Conf. Hermannus Wirsius *in Miscell. S. T. I. p.* 4. & *499.* Leigh. *Crit. S.* & Opitii *Lex. sub r.* כהן. Hæc procul dubio est ratio, cur tempore Veteris Testamenti non solum *Sacerdotes* stricte sic dicti nomine hoc fuerint insigniti, sed etiam reliqui *Levitæ*, conf. Jos. III. 3. IV. 9. licet hi nulla obtulerint sacrificia, sed sacerdotibus sacrificantibus sua tantum præbuerint ministeria. Nec est cur in locis citatis velimus intelligere *Sacerdotes* stricte sic dictos, cum abunde constet, *Levitarum* ex familia *Kahath* fuisse, portare arcam fœderis, vid. Num. Cap. IV. 15. Imo! & *politici* ordinis Viros vocatos fuisse כהנים claret ex 2. Sam. VIII. 18. coll. cum 1. Chron. XVIII. 17. alia loca, quia dubiæ sunt interpretationis, studio præterimus, quamvis eodem sensu â multis fuerint exposita. Atque sic nullum nobis dubium est, per *Sacerdotes* & *Levitas*, temporibus Messiæ

siæ futuros, intelligendos esse publicos verbi divini cultusque sacri ministros. Obiter notamus, quod Ed. Leigh. *l. c.* existimet, radicem כהן proprie significare *ministrare*, indeque descendere vocabulum Græcum *κονέω* & *διακονέω*.

§. XIX. Haud parum hac in sententia nos confirmat, quod in plerisque locis supra à nobis adductis, etiamsi Spiritus S. eadem retinuerit nomina populo antiqui fœderis usitatissima, de *Sacerdotibus* tamen ac *Levitis* N. T. ita locutus fuerit, ut quilibet facillimo negotio intelligere potuerit, aliam fore rationem *Sacerdotum* & *Levitarum* sub N. T. quam quæ fuerit tempore Veteris Testamenti. Sic in Ps. CXXXII. ll. cc. *Sacerdotes* dicuntur inducendi *justitia* & *salute*, manifestissimo documento, quod quidem Messias habiturus sit *Sacerdotes* sive *Ministros*, hos vero non amplius gestaturos esse ejusmodi vestimenta, qualia conspiciebantur in *Sacerdotibus* ac *Levitis* juxta Legem constitutis, potius eosdem pro indole œconomiæ novæ, *justitia* & *salute* unice esse amiciendos. Qvod vero non omnes promiscue *Christiani* in hoc Psalmo *Sacerdotum* nomine intelligantur, evictum dari posse autumo, si consideretur suffixum in voce כֹּהֲנֶיהָ siquidem *Zion*, i. e. tota fidelium multitudo per illud ipsum suffixum distingvitur à *Sacerdotibus* suis, & *Sacerdotes* distingvuntur à *Zione*, cuius sunt Sacerdotes. Eadem observatio, circa vocem וַחֲסִידֶיהָ nos movet, ut per חסידים non intelligamus *sanctos* quoscunque, sed *Levitas*, conf. Spencerus *de Legibus Hebr. p. m. 1414.* edit. Lips. de anno 1705. tales tamen, quales œconomia Novi Testamenti permittit. Sunt quippe & hi Levitæ *Zionis Levitæ*, adeoque cum ipsa Zione, universa credentium multitudine, nequaquam confundendi.

§. XX. Quod concernit Es. Cap. LXI. 6. fatemur lubentissime, primo intuitu admodum nobis placuisse interpretum illorum expositionem, qui hic per *Sacerdotes* intelligunt *omnes* promiscue *Christianos*. Verum re curatus pensitata, existimamus, hunc locum nostræ quam maxime favere sententiæ. Qvod ut solide demonstretur, (1) ex præcedentibus considerari petimus, Zioni temporibus Messiæ promitti restaurationem ejus, quod devastatum desolatumque eo usque fuerat. Hoc enim

procul dubio volunt verba v. 4. *Tunc ædificabunt vastitates æternitatis, (antiqvas) desolationes priores priscas erigent, & renovabunt urbes vastitatis, desolationes generationis & generationis.* Qvi absque præjudicio promissionem hanc examinat, fatebitur, Zionem hic nobis figurari sub schemate ædificii devastati & restaurandi. Ad hujus restaurationem exiguntur *architecti.* Possemus de his architectis allegare Es. XLIX. 17. cujus verba initialia LUTH. noster reddidit: Deine Baumeister werden eilen. Sed novimus, quod in textu originali legatur בָּנַיִךְ quam vocem alii exponere malunt de *filiis*, hoc sensu: *Festinabunt filii tui*; vel *festinare facient* ministri Evangelii *filios tuos.* Verum enim vero, quamvis habeamus, quod pro LUTHERO urgere possimus, inprimis quod illis בניכם opponantur מחריבכם & מהרסיכם *destructores* & *devastatores*; item, quod filii ædificent ædes parentum; Nolumus tamen hæc nimis urgere, cum ex clarissimis & indubiis Scripturæ S. locis abunde constet, quod ecclesiæ ministri ejus quoque sint & esse debeant architecti. Conf. Psalm. CXIIX. 22. Matth. XXI. 42. Marc. XII. 10. Act. IV. 11. Rom. IX. 33. & præcipue 1. Cor. III. 10. ubi Paulus de semetipso loquens scribit: *Juxta gratiam Dei datam mihi, ut sapiens architectus, fundamentum posui; alius vero superædificat.* Habemus itaque hic architectos utriusque Testamenti. (2) Probe ponderanda sunt verba v. 5. *Stabunt vero alieni, & pascent gregem vestrum; & filii alienigenarum erunt agricolæ vestri, & vinitores vestri.* Qui nodum in scirpo haud quærit, absque omni difficultate animadvertit: *Zionem* hic comparari partim cum *grege*, cui opus est *Pastoribus*, partim cum *agro*, qui suos desiderat *agricolas* ab *agro* distinctos; item cum *vinea*, quæ *vinitorum* curam atque *industriam* efflagitat. Si quæris schematis hujus evolutionem, evolve 1. Cor. III. 5. 6. 9. *Qvis ergo est Paulus? qvis vero Apollo? nisi* NB. *Ministri, per qvos credidistis & sicut unicuiqve Dominus dedit. Ego plantavi, Apollo irrigavit, sed Deus crescere fecit. Dei enim sumus cooperarii, Dei agricultura, Dei ædificatio estis.* Sed dicis: Quinam sunt *alieni*, qui *filii alienigarum?* Cape informationem ex Eph. II. 12. & conspicies *gentiles.* Minime vero opus est, omnes ex gentilismo ad Messiam conversos constituere

agrico-

agricolas aut *vinitores*, nisi velis *agrum* confundere cum *agricolis* & *vineam* cum *vinitoribus*. Sensus est manifestissimus. Sed quid fiet cum versu nostro sexto, quem fere omnes interpretes exponunt de *Sacerdotibus spiritualibus*, de omnibus Christianis? Nos veneramur interpretes & tantum iisdem statuimus pretium, quantum de jure sibi vendicare possunt, ast viam, quam semel ingressi sumus, deserere, nobis est religio. Nos (3) omni qua valemus mentis acie contemplamur textum originalem, retinentes contextum & scopum Spiritus S. Textus originalis, quantum nos assequi valemus, ita est vertendus: *At* (τὸ Vav etenim h. l. *adversative* ponitur,) *vos, ô Sacerdotes Jehovæ, vocabimini Ministri Dei nostri; dicetur vobis: Opes gentium comedetis, & in gloria eorum gloriabimini.* Si nuda verborum tibi non sufficit versio, dabimus operam, ut plus claritatis tibi affulgeat, quemadmodum nobis ex divina gratia lux affulsit. Ipsam non vituperabit versionem, qui Hebræam callet lingvam. Utinam Theologiæ Studiosi hac meditatione nostra se excitari paterentur, & sanctioris hujus lingvæ desiderio inflammarentur, cum certe nec versiones, nec commentarii sitientium semper explere possint desideria! Sed redimus in viam. Promiserat Spiritus S. Zioni ex gentilibus *pastores, agricolas & vinitores*. Cogitare potuisset: Annon habemus Sacerdotes? Quodnam horum erit officium? Alloquitur proinde Spiritus S. hos Sacerdotes, non tamen quoscunque, sed *Sacerdotes Jehovæ*, qui, quemadmodum ea curabant, quæ Dei erant, ita quoque Deo erant curæ cordique: *At vos*, inquit, *ô Sacerdotes Jehovæ, vocabimini ministri Dei nostri*. Cogitemus quæso: Quis est Deus noster? Nonne Rex Messias, qui in utriusque Testamenti codicibus vocatur *Immanuel*, qui peculiari ratione nos sibi sangvine suo acquisivit in peculium; hujus *Dei nostri*, inquit, vocabimini *ministri*, διάκονοι. Repetenda erunt, quæ jam antea ex codice Novi Testamenti adduximus loca, ex quibus vel solus 1. Cor. III. 5. quoad verba illa: *Quis ergo est Paulus? Quis vero Apollo?* Uterque vero ex semine Judaico, ex veteri Zione oriundus, *nisi ministri*. En complementum hujus promissionis per Esaiam factæ. Quod consolationi cedere debebat quam maxime

Zioni

Zioni veteri, quæ non tantum ex *gentilibus* visura esset temporibus Messiæ *pastores*, *agricolas* & *vinitores*, sed *Sacerdotes* quoque ex gremio suo, non amplius ad morem antiqvum sacrificantes, sed *ministros* Messiæ Dei nostri. Qvid denique (4) sibi velint verba ista: *Dicetur vobis: Opes gentium comedetis & in gloria eorum gloriabimini*; condocere nos possunt verba Salvatoris Matth. XXVIII. 19. discipulos suos, ministros suos sic alloquentis: *Euntes ergo, discipulos facite (mihi) omnes gentes, baptizantes eos in Nomen Patris & Filii & Spiritus S.* &c. Qvæ non hæc gloria? Paulus profecto hac non parum delectatus est gloria. Conf. 2. Cor. X. 13. *Nos vero non de immensis gloriamur, sed juxta mensuram regulæ, qvam nobis admensus est Deus, mensuram (scilicet,) ut perveniremus etiam ad vos.* Adde Rom. XV. 17. 18. 19. Latius hæc proponi & per sequentes quoque Esaiæ versus deduci possent, verum nimia nobis evitanda est prolixitas. Interea meditatione dignum, quod æque in hoc Cap. LXI. ejusdemque commate 10. *vestimentorum justitiæ* ac *salutis* fiat mentio, quemadmodum Psaltes illorum meminerat Psalmo CXXXII. 9. & 16. de quo §. proxime præced. actum fuit. Nobis sufficiet hac vice, quod Zion Novi Testamenti in vaticinio Es. fuerit repræsentata, ut ex Judæis & gentilibus constructum ædificium, vel ut ager aut vinea, quæ *ministros* Dei & Domini sui Jesu Christi nacta est, & agricolas, & vinitores, & architectos, non tantum ex gentilibus conversis, sed ex Judæis quoque, qui sibimet invicem mutuas præstant operas, ad ædificationem Ecclesiæ, cujus non solum membra ipsi sunt & particulæ, sed agricolæ etiam, vinitores & architecti. Qvam expositionem nostram nemini obtrudimus, contenti, quod in simplicitate cordium nostrorum secuti fuerimus legitimæ interpretationis regulas.

§. XXI Qvoad Es. Cap LXVI. v. 21. nulla opus erit prolixitate, si modo observatum fuerit, quod *Sacerdotes* & *Levitæ* sumendi sint מהם גם *etiam* ex *illis* sc. gentibus conversis, nam de his in gremium ecclesiæ adducendis, in verbis proxime præcedentibus sermo fuit. Qvodsi ergo *de* vel *ex illis* quidam sumendi sunt in *Sacerdotes* & *Levitas*, sequitur, quod non omnes sed aliqui tantum

tantum futuri sint *Sacerdotes* & *Levitæ*; si vero non omnes, ulterius sequitur, hic non agi de *Sacerdotibus spiritualibus*, siquidem ab horum numero ne unicus quidem Christianus vere talis est excipiendus, sed de *Doctoribus & Ministris N. T. Ecclesiasticis*, qui æque hostias ex gentilibus nondum conversis DEO offerrent, quemadmodum פליטים *erepti* ex Judæis, i. e. *Apostoli* missi sunt ad gentes, vid. v. 19. ut adducerent fratres ex gentibus munus Jehovæ v. 20. Apparet quoque ex h. l. quod *Sacerdotium Leviticum* V. T. fuerit abrogandum, siquidem promissi *Sacerdotes* & *Levitæ* ne quidem ex *Judæis* multo minus ex tribu *Levi*, sed ex *gentilibus* sumendi, atque sic homines illius temporis, quo hæc prædicebantur, intelligere poterant, longe aliam fore horum *Sacerdotum* & *Levitarum* rationem. Qvod pro nostra sententia annotasse satis est.

§. XXII. Qvæ ex *Jeremiæ* vaticinio produximus loca, *Sacerdotes* & *Levitas* à reliquo fidelium cœtu ea ratione distingvunt, ut per eosdem alios intelligere habeamus, quam qui Regali in N. T. funguntur Sacerdotio. Nam Cap. XXXI. 14. dicitur: *Implebo animam SACERDOTUM pingvedine, populus autem meus bono meo saturabuntur.* Qvid quæso opus erat *populum* hic distingvere â *Sacerdotibus*, si *Sacerdotes* hoc loco quoscunque notant fideles? At distincta fit mentio *Sacerdotum*, & distingvitur ab illis *populus*; ergo quoque nos distingvere debemus eos, quos Spiritus S. distinctis nominibus nobis contemplandos sistit, præprimis cum illi דשן *pingvedine* sint implendi, hic vero טוב *bono* sit saturandus. Qvod vero concernit Cap. XXXIII. 17 - 22. observamus (1) diversas in his verbis contineri prophetias, ita tamen ut minime statuamus, diversis quoque temporibus illas prolatas esse, sed unam mox alteram immediate excepisse, exiguo forte intervallo intercedente. *Prior Prophetia*, quæ clausula tantum est illius, quam Dominus Jeremiæ revelaverat, cum hic conclusus adhuc erat in atrio custodiæ v. 1. & seqq. incipit v. 17. & absolvitur v. 18. *altera* incipit v. 19. & continuatur usque ad v. 22. incl. natet hoc, si consideremus, utriusque prophetiæ verba initialia: Pam v. 17. hæc inveniuntur verba: *Qvia sic dixit Jehova*; & v. 19,

atque

atque v. 20. *Porro factum est verbum Jehovæ ad Jeremiam, dicendo: sic dixit Jehova:* Memorabile insuper est, quod altera prophetia absoluta, nova iterum succedat v. 23. qui ita se habet: *Insuper factum est verbum Jehovæ ad Jeremiam, dicendo.* Inde colligimus, quod in singulis Prophetiis etiam aliquid singulare & peculiare contineatur. (2) Qvamvis in priori prophetia *vir non exscindendus*, utroque respectu, & *Davidis* & *Sacerdotum* ac *Levitarum*, sit unus idemque Rex & Sacerdos noster, Dominus Jesus Christus in secula benedictus; (quam sententiam supra ex SEB. SCHMIDIO audivimus,) aliam tamen esse rationem versuum sequentis prophetiæ omnino censemus. Promittitur quidem in his quoque Regi Davidi servo Dei filius in perpetuum regnans, & quod fœdus cum Davide, & cum Sacerdotibus ac Levitis ministris suis initum, firmum ac stabile sit mansurum; verum: quomodo illud sit intelligendum v. 22. exponitur. Verba ita fluunt: *Sicut non numerabitur exercitus cœlorum, & non mensuratur arena maris; ita multiplicabo semen Davidis, servi mei, & Levitas ministros meos.* Probe hic notandum, quod Davidi servo Dei promittatur *multiplicatio seminis*,. Inquiramus igitur quale hoc sit semen, *multiplicandum?* Vix rectius exponi poterit, quam *de filiis spiritualibus*, h. e. de fidelibus N. T. qui postea v. 26. etiam vocantur *semen Abrahami, Jizchaki & Jacobi.* Existimat quidem SEB. SCHMIDIUS: *Melius forte per semen Davidis intelligi Messiam multiplicandum per filios suos spirituales.* Verum durior nobis videtur hæc expositio, quia est promissio Davidi facta, & nulla nos cogit necessitas, ut hoc semen multiplicandum de unico illo filio in perpetuum regnaturo interpretemur, quia hic David etiam aliud habet *semen spirituale*, de quo sine ulla difficultate seminis multiplicatio prædicari potest. Conf. Psalm. LXXXIX. 37. Nec obstat, hoc *semen* vocari, *l. c. æternum*, licet enim careat æternitate â parte *ante*, haud tamen caret æternitate à parte *post*. Quæ autem de *solio Davidis* in æternum duraturo v. 38. seqvuntur, illa utique respiciunt regnum unici illius filii sine termino regnaturi. Qvemadmodum itaque Davidi promissum est, teste Psalmo citato semen, ita quoque teste vaticinio Jeremiæ, eidem promittitur seminis illius

lius multiplicatio. Et jucunda est meditatio, quod duæ hæ promissiones adeo amice conspirent, licet posterior priori sit paulo explicatior. Præterea videmus, quod neque ipse Schmidius alios sibi potuerit de multiplicatione hujus seminis formare conceptus, quam confugere ad *filios Messiæ spirituales* Cur autem noluit hos ipsos quoque vocare filios spirituales Davidis, siquidem vocantur זרע דוד semen Davidis, servi illius Dei, cui promissio facta. Notum est de Abrahamo, quod & huic promissum fuerit semen, de quo Paulus testatur Gal. III. 16. ὅς ἐστι Χριστὸς qui est Christus, hoc tamen non obstante, etiam Abrahamo facta est promisio de seminis sui multiplicatione, & quidem ad figuram vel similitudinem stellarum, Gen. XXII. 17. quod semen pariter Apostolus Paulus interpretatur de omnibus in Christum credentibus, qui ejusdem cum Abrahamo sunt fidei. Conf. Rom. IV. 16, Qvid ergo impedit, quo minus pari ratione *semen multiplicandum Davidi promissum*, intelligamus de omnibus qui sunt fidei Davidis? Nonne & hujus seminis multitudo comparatur cum multitudine *exercitus cœlorum*, & cum *arena maris*, quæ non mensuratur? Pulcherrimus itaque hic est paralleliſmus inter Gen. XXII. 17. & hunc v. 22. Jer. Cap. XXIII. (3) Præter hujus seminis hactenus expositi multiplicationem etiam promittitur multiplicatio *Levitarum*, hoc ipso v. 22. Placuit Spiritui S. tantum nominare *Levitas*, quod procul dubio non sine causa factum, supra enim v. 18. & similiter v. 21. mentionem quidem injecerat & *Sacerdotum* & *Levitarum*, ast hic v. 22. quando respicitur ad fœdus cum *Sacerdotibus* & *Levitis* quondam initum, non æque promittit *Sacerdotum* & *Levitarum*, sed tantum *Levitarum* multiplicationem. Quæ causa? quæ ratio? Sacerdotium quatenus erat typus Christi, Summi Sacerdotis antitypici, cessare debebat Christo præsente, ast *Levitismus*, in quantum adumbrabat ministerium N. T. ecclesiasticum, atque sic denotabat antitypum suum, utique erat multiplicandum, loquitur proinde Spiritus S. hic tantum de *Levitis* multiplicandis, hosque vocat *ministros suos*. Neque prætermittendum, quod Spiritus S. v. 18. dixerit: *Sacerdotibus Levitis* non exscindetur vir; ast v. 21. locutus

 fuerit

fuerat de *fœdere* cum *Levitis Sacerdotibus ministris suis* inito. Qvæ differentia nos commonefacere videtur: quod Sacerdotes, qui fuerunt typus Sacerdotii Christi, quidem ratione officii sacerdotalis fuerint ex *tribu Levi* atque sic *Levitæ*, verum primarium hic habendum esse respectum ad *officium sacerdotale*, quod suum invenit complementum, in unico Summo Sacerdote N. T. qui ut vir unicus nunquam exscindendus: Quando autem de fœdere, cum *Levitis Sacerdotibus, ministris suis* inito, loquitur Deus, & *Levitarum* mox promittit *multiplicationem*, tunc unice respici ad *reliqvum* ipsorum *officium ministeriale*, quod adumbravit *ministerium ecclesiasticum* N. T. unde etiam tantum *Levitarum* meminit, non *Sacerdotum*, ut intelligeremus, ministros Novi Testamenti, quatenus similes sunt in officiorum suorum functione Levitis Veteris Testamenti, multiplicandos esse, tanquam Dei & Jesu Christi ministros. Unde etiam, quod fœdus illud Dei cum Levitis quondam initum concernit, de eodem infra pluribus agendum erit. Atque sic iterum habemus, quæ volumus, nimirum, quod *Levitæ* multiplicandi non sint confundendi cum *semine multiplicando*, i. e. Ecclesiæ N. T. ministri cum quibuscunque Christianis, quibus regalis competit Sacerdotii dignitas. Quæ omnia ut sacrarum literarum periti, penitius examinent, nobis nequaquam erit adversum, sed gratiam habebimus potius omnem illis, qui meliora & rectiora nos condocere valent.

§. XXIII. Id, in quo hactenus laboravimus, demonstrandum quoque nobis sumimus ex *Ezechielis* prophetia. Præcipuam nobis causatur difficultatem, quando Cap. XLIV. 10. - 14. *Levitis*, qui elongarunt se à Domino, cum aberraret Israël, aliquod quidem conceditur in sanctuario Domini ministerium idque vilissimum, non autem illis permittitur ut Sacerdotium gerant, aut appropinquent ad ulla sancta, aut ad sancta sanctorum, è contra v. 15. 16. *Sacerdotibus Levitis, filiis Zadoki* promittitur liberrimus ad Deum accessus, liberrimumque ministerium. Nos non latent, quæ Joh. Coccejus habet *in Comm. suo ad h. l.* neque quæ ex Clario adducuntur *in Criticorum S. Tomo IV. ad h. l.* neque quæ Cornelii à Lapide sit sententia. Verum ingenue profitemur, nos ex parte non capere, quæ à Coccejo sunt dicta, neque intelli-

telligere, quomodo ea recte se habeant, quæ CLARIUS annotavit, aut quomodo per omnia stare possint, quæ CORNELIUS à LAPIDE ex HIERONYMO potissimum attulit. Gratiora nobis sunt, quæ MATTHIAS HAFENREFFERUS, Academiæ quondam Tubingensis Th. D. & Prof. *in Templo Ezech. p. 314.* nobis reliquit. Digna sunt verba Theologi meritissimi ut hic repetantur, siquidem iisdem vix rectiora afferri poterunt: *Prima lex est de constituendo ministerio, ubi primum per remotionem ostenditur, qvinam ad ministerium sint inhabiles, & hoc per exprobrationem Ezech. XLIV. 7.* introduxistis alienigenas, præputiatos corde, & præputiatos carne. *Hi sunt*, falsi Doctores, *& Pseudoprophetæ, homines infideles animis & corruptis moribus, hoc est cordis & carnis præputium. De his graviter Christus:* Cavete vobis à Pseudoprophetis *Matth. VII. 15. & Paulus ad Philipp. III. 2.* Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem. *Sed non tantum illi ad verbi ministerium non adhibendi sunt, qvi non habent sanam doctrinam, sed & illi, qvi pollutis moribus sanæ doctrinæ cursum inhibent ac infringunt. Qvi enim docent tantum, nec faciunt, illi præceptis suis detrahunt pondus. Qvis enim obtemperaret, cum ipsi Præceptores & Ecclesiæ Doctores doceant non obtemperare? - - Cujusmodi omnino vel non admittendi, vel officio removendi, vel etiam, si pœnitentiam non egerint, ipsa qvoqve ecclesia & communione sanctorum ejiciendi privandiq; fuerint, de qvibus omnibus Salvator Matth. XVIII. 16. - Omnis igitur vita ac moribus dissolutus verbi minister, gravissimus sui ipsius accusator & severissimus judex est: redundantibus in ipsum, & reciprocantibus omnibus maledictis & pœnis, qvas aliorum vitiis & peccatis interminatur. Secunda lex est de vera & legitima constitutione ministerii. Indignis namqve remotis, de dignis est dispiciendum. Qva de re Ezechieli nostro Dominus ita loqvitur* Cap. XLIII. Qui sunt de semine Zadok, appropinquabunt ad me, ut ministrent mihi. *Et* Cap. XLIV. 15 Sacerdotes Levitici, filii Zadok, qui observant observationem sanctuarii mei, &c. ipsi appropinquabunt ad me, ut ministrent mihi &c. *Is nimirum ad Ecclesiæ ministerium legitime vocari potest, qvi est filius Tzadok*, h. e. *qvi justus & integer est. Nam* צדיק justum & rectum *significat. Illa vero justitia in doctrinæ & morum sinceritate & puritate consistit. In utraq; harum, qvi excellit, excellens*

ibidem verbi divini minister futurus est, in alterutra qui deficit, is in legitima ministri qualitate, haud parum deficit. De hisce ipsum nomen Tzadoci nos monet, sed & ejusdem historia mente recolenda. Scimus enim in extremis agente Davide Rege, & inscio illo regnum invaderte Adonia, Sacerdotem Abjathar, Adoniæ rebellantis partes secutum, eamque ob causam à Salomone Rege, ab officio Sacerdotali remotum, & Tzadok in locum ipsius substitutum esse 2. Reg. II. 26. 35, *Nullus videlicet* Apostata *Regis Salomonis, nullus* seditiosus, *h. e. nullus à Christo & fide Evangelica desciscens, nullus eidem repugnans ministerio in ecclesia dignus est: sed Christo fidem servet, Christo obedientiam præstet, qui legitimus in domo ipsius servus & minister esse velit.* Quibus sic expositis, Theologus laudatus, ostendit, *Pontificem Romanum* non esse filium Tzadoc; similiter demonstrat, *Calviniana factionis* homines hunc titulum sibi haud arrogare posse. Tandem vero ita concludit: *Quotquot igitur non sunt de semine Tzadoc & ipsum justum nostrum laudibus & præconiis celebrantes; in doctrina non integri, nec in vita sinceri & puri, indigni illi sunt verbi ministri, cum Abjathar removendi: & nisi pœnitentiam egerint, cum seditiosis male perdendi. Qui vero in doctrina & moribus justi, integri & sancti fuerint, illi non tantum in hac vita, coram Deo nostro, munere sacerdotali fungentur, sed vita functi, cum Tzadoc, cum omnibus Prophetis, electis & Angelis, eundem in æterno beatitatis templo, æternum laudabunt & concelebrabunt.* Hisce ut plura addamus nulla nos urget necessitas. Quicunque enim hæc attente meditatur, & simul secum reputat, quod omnes veri Christiani sint templum Deo N. T. temporibus exstruendum, Ezechieli in visione quadam præfiguratum; is facile nobiscum fatebitur: *Levitas* & *Sacerdotes*, qui in hoc templo grata Deo ministeria præstant, nullos alios esse quam verbi divini præcones, qui & recte docent ac pie vivunt.

§. XXIV. Restat itaque, ut etiam ex *Malachia* demonstremus: *Filios Levi* ex phrasi hujus Prophetæ denotare ibidem ordinarios Ecclesiæ Novi Test. ministros. Hoc ut obtineamus, monemus (1) in Cap. II. hujus prophetiæ Sanctissimum Numen acriter objurgasse *Sacerdotes* & *Levitas* temporibus Malachiæ viventes, iisdemque in memoriam revocasse fœdus illud, quod olim pepigerat

Landesbibliothek Oldenburg

pigerat cum tribu Levi, quod turpiter neglexerant, variisque sordibus, vitiis atque inquinamentis sese contaminaverant. Cum itaque Cap. III. Deus per Malachiam loquens prædicendo progreditur ad tempora Messiæ, non ea tantum indicans, quæ circa ipsa N. T. initia futura sint, sed ea quoque commemorans, quæ per totum hujus œconomiæ tractum Messias peracturus sit, nimirum quod mundaturus & purgaturus sit quoscunque à peccatorum suorum sordibus, in specie vero *filiorum Levi* meminit; admodum conspicuum nobis esse videtur, Deum non respexisse tantum ad *Sacerdotes* & *Levitas*, qui circa Christi in carnem adventum, publicum & ordinarium erant ministerium Ecclesiasticum, sed ad omnes quoque illos, qui à Messia ut Ecclesiæ ministri vocandi, aut postmodum iisdem usque ad finem hujus seculi surrogandi. Ratio est in promptu, quia omnes quam maxime indigent purgatione, hæc vero aliter fieri non potest, quam virtute sangvinis Christi mundantis nos ab omnibus peccatis nostris. Licet itaque hoc officium Christi purgatorium sese extendat ad omnes omnino peccatores, placuit tamen Sanctissimo Numini *filios Levi* expressius nominare, quia sacer ipsorum ordo præ omnibus Christianorum hominibus de jure debet esse nitidissimus æque ac purissimus, longeque aliter comparatus, quam qualis Malachiæ temporibus fuit. (2) Observamus de *filiis Levi*, in hoc ipso, quod coram oculis nostris versatur, dicto Mal. III. 3. enunciari, Messiam ideo eosdem purgaturum esse, *ut sint adferentes Jehovæ Mincham in justitia*, quo ipso *filii Levi* distingvuntur ab ipsa *Mincha* offerenda. Quænam autem est hæc Mincha? Hoc est, quod (3) inculcamus, est *Mincha Jehudæ & Hierosolymæ*. Conf. v. 4. Qvem vero latet, quod per *Juda* & *Jerusalem* intelligantur omnes vere in Christum credentes, qui tales ministerii Ecclesiastici opera sunt constituti. Provocamus hac vice vel ad unicum Cap. XII. Zachariæ v. 5. 6. 7. 8. 9. 10 Nullum itaque nobis remanet dubium, etiam in hoc Malachiæ loco per *filios Levi* intelligendos esse Ecclesiæ N. T. ministros.

§. XXV. Militat pro nostra sententia etiam Scriptura N. T. partim, quando plurimis in locis Doctores verbi Evangelici vocantur

cantur *ministri Dei & Jesu Christi*, qualia loca jam supra adduximus, sed etiam quando vocantur *Ecclesiæ ministri*, vel *servi*: 1. Cor. IX. 19. 2. Cor. IV. 5. *Non enim*, inquit Paulus, *nos ipsos prædicamus, sed Christum Jesum Dominum, nos vero ipsos SERVOS VESTROS per Jesum*; partim vero, quando de *ministris Ecclesiasticis* ejusmodi adhibentur phrases, quæ respectum habent ad *Sacerdotium Leviticum* veteris Testamenti, sic Apostolus Paulus utitur de suo ministerio vocabulis ex Judæorum Schola sacrificiali petitis, quando Rom. XV. 16. scribit: Εἰς τὸ εἶναί με λειτουργὸν Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς τὰ ἔθνη, *ut sim minister Jesu Christi apud gentes*, ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ, *operans Evangelio Dei* (ἱερουργῶν observ. LEIGH. *in Crit. S. p. m. 306.* nomen habet à *sacrificando*, vel sacrando, unde LUTHERUS noster: Zu opfern das Evangelium GOttes) ἵνα γένηται ἡ προσφορὰ τῶν ἐθνῶν, *ut oblatio gentium fiat accepta sanctificata in Spiritu Sancto.* Qvamvis autem Apostolus in hoc loco usus fuerit ejusmodi vocabulis in Sacerdotio Levitico quondam usitatissimis, ita tamen illa ipsa modificat, ut quilibet à Spiritu Dei illuminatus, primo statim intuitu ex tota verborum constructione cognoscat, sibi quidem similem non vero eandem competere cum Sacerdotibus ac Levitis V. T. functionem. CAMPEGIUS VITRINGA *in Prolegom. ad Libb. de Synag. Vet. p. m. 66.* non veretur scribere: *Qvod Apostolus respiciat ad locum Es. LXVI. 21. id mihi non est dubium. Non utitur quidem hic, fateor, nomine & voce SACERDOTIS, certum tamen est, vocabula* λειτουργεῖν & ἱερουργεῖν *in hoc loco ad SACERDOTALE munus pertinere.* Alius est locus in Scriptura N. T. nimirum 1. Cor. IX. 13. in quo Apostolus sic argumentatur: *Annon scitis,* ὅτι οἱ τὰ ἱερὰ ἐργαζόμενοι, *quod qvi sacris operantur, ex sacris etiam comedant? Et qvi altari adsistunt,* τῷ θυσιαστηρίῳ παρεδρεύοντες, *cum altari etiam portionem accipiant. v. 14. Sic etiam Dominus ordinavit iis, qvi Evangelium prædicant, ut ex Evangelio vivant.* Qvis non videt, Apostolum hic conferre mores ministrorum Evangelicorum cum omnibus *Sacerdotum* & *Levitarum* V. T. τὰ ἱερὰ ἐργάζεσθαι *sacra operari* respectum habet ad *officium Leviticum.* Unde quoque THEOPHYLACTUS *ad h. l.* ita commentatur: *Cum ea, qvæ de bobus dicta erant, allegorice accepisset; tum disertis verbis Legem imperare ait, ut ea sacra edant, qvi sacra faciunt*

faciunt, hoc est Levitæ Sacerdotibus gradu inferiores. Phrasis autem sequens τῷ θυσιαστηρίῳ προσεδρεύειν *altari assidere*, respectum habet ad *Sacerdotes*, quapropter etiam THEOPHYLACTUS eandem applicat ad *Sacerdotes: Hoc est*, inquit, *Pontifices & Sacerdotes.*

§. XXVI. Hisce argumentis ex ipso Codice Sacro petitis nunc subjungimus purioris antiquitatis consensum. In hoc colligendo otium nobis fecit Doctissimus inq; antiquitatis studio versatissimus JCtus Dn. CASP. ZIEGLERUS, in eruditissimo, quem de Diaconis & Diaconissis Veteris Ecclesiæ conscripsit, commentario. Probe siquidem observavit, quod Ministri Ecclesiæ Christianæ *speciali* quodam *significatu* & respectu, dicti fuerint *Sacerdotes*, quatenus scilicet prædicatione Evangelii & doctrina verbi sacrificant, & in eam rem peculiariter sese Deo consecrant. Adducit *pag. 16. & 17.* testimonium GREGORII NYSSENI, qui *in Orat. de baptismo* inquit: *Verbum Dei SACERDOTEM augustum & honorandum facit, novitate benedictionis à communitate vulgi segregatum.* Mox vero monet ZIEGLERUS noster: *Ulti vero Sacerdotes proprie dictos, ad sacrificium propitiatorium Deo offerendum destinatos, in Ecclesia Christiana non agnoscimus, cum Christus sit Sacerdos æternus & absq; successore; ita Nyssenum & cæteros Patres nomen Sacerdotis improprie usurpasse, dubium non est.* Observavit ulterius p. 17. §. VII. Postquam nomen *Sacerdotis* in Ecclesia Christiana fuerit receptum, parum abfuisse, quin *Episcopis* solis illud tribueretur. Imo, ne quid dissimulet, probat ex variis antiquitatis documentis §. VIII. quod jam Seculo IV. *Sacerdotibus Ministri* sœpe fuerint oppositi vel adjuncti, ita, ut per illos *Episcopi* atque *Presbyteri*, per hos vero *Diaconi* & *cæteri Clerici* fuerint denotati. Denique §. IX. docet, quod *Diaconi* aliquando etiam expresso titulo, *Levitæ* dicti fuerint; Idemque evincit, provocando ad varia Concilia in antiquiori Ecclesia habita, ut & testimonio APOLLINARIS SIDONII, qui Ecclesiæ suæ *Diaconum Vindicium Petronio* Arelatensis fori togato *Lib. 5. epist. 1.* hisce commendavit verbis: *Commendo Vindicium, necessarium meum, virum religiosum & Leviticæ dignitati, quam nuper indeptus est, accommodatissimum.* Cui testimonio & illud HIERONYMI jungimus, quod in famosissima illa ad EVAGRIUM *Epistola T. II. Op. f. 117. col. 3.*

extat: *Et ut sciamus traditiones Apostolicas sumptas de Vetere Testamento; quod Aaron & Filii ejus atqve Levitæ in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi vendicent in Ecclesia.*

§. XXVII. Esset hic amplissimus exspatiandi campus, si conquirere vellemus omnes in antiquissimis Patrum monumentis latentes locutiones de *Sacerdotio, Sacerdotibus, Levitis, aris, offertoriis, sacrificiis, oblationibusq;*. Verum istas jam dudum conquisivere omnium trium in Imperio Romano receptarum Religionum Theologi, apud quos facillimo negotio inveniri poterunt, quæ huc spectant. Nobis nequaquam mens est, illa omnia probare, quæ ad mores Cultus Levitici quondam in Ecclesiam Christianam introducta & recepta legimus. Neque iis, quæ §. proxime præcedenti adduximus, id volumus, quod ministri Ecclesiastici N. T. assimilari debeant omni omnino respectu ministerio Ecclesiastico V. T. sed eatenus tantum, in quantum œconomia gratiæ & Scriptura N. T. ejusmodi assimilationem permittunt. Qva de re infra pluribus nostram exponemus mentem. Adeoque nullum hic nobis est negotium cum *Pontificiis*, qui non solum Papam suum ut summum Pontificem, sed & Collegium Cardinalium totumque Ministrantium ordinem ad formam Sacerdotii Levitici efformant. Qvodsi tamen qualecunque nostrum proferendum esset judicium de controversia illa inter Eruditos agitata: An *officia & ritus Ecclesiæ Christianæ* ex *Templo Judaico*, vel ex *Synagoga* derivari debeant? (De qua conferri poterunt Usserius Armachanvs *in Opusculo de Episcoporum & Metropolitanorum origine.* Carolus Sigonius *Lib. V. Cap. VII. de Rep. Hebr.* Josephvs *de* Voysin *in suis ad Raymundi Pug. observationibus p. 180.* ut & Caspar. Zieglervs in libro aliquoties jam citato, qui omnes pro templo militant. E contra Christianorum sacra mutuo accepta esse ex Synagoga, statuunt Hugo Grotius *in Annot. ad Lib. Hist. N. T.* passim, Seldenus *in Lib. de Synedriis L. I. cap. XIV.* item *in L. III. cap. XXIII.* Morinvs *Lib. II. Exerc. III. cap. 2. §. 9.* Thorndicivs *in Origin. Eccl. cap. XVI.* Salmasivs *in Diss. de Primatu Papæ cap. I.* Henricvs Valesivs *in Annot. ad Euseb. Lib. VII. cap. 10.* Lightfootvs *in Horis Hebr. in Matth. IV. 23.* Joh. Spencervs *in Lib. de legibus Hebr. ritu-*

alibus

Landesbibliothek Oldenburg

libus. Quos & alios pro sua sententia adduxit CAMPEGIVS VITRINGA in *Lib. de Syn. Vet. p. 15. 16. 17.* & ex eodem CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS *in Orig. Jur. Eccl. p. 89. & 91.*) Nos existimamus, caute hic omnino procedendum esse. Dum enim tota Ecclesiæ Christianæ forma specifica, quoad externum ejus regimen, ipsi unius cujusq; Ecclesiæ particularis dispositioni à S. S. per Apostolum Paulum sit relicta. Vid. 1. Cor. XIV. 40. Unde & hæc pro diversitate Ecclesiarum hodie admodum variat; qvæstio potissimum instituenda foret de Ecclesiis Apostolorum opera constitutis, de quibus diceremus, quod ex templo æque ac ex Synagoga quædam retinuerint, Unde nobis pergrata fuit M. CHRISTOPHORI WOLFII *Dissertatio Libris* VITRINGÆ *de Synagoga V. præmissa, in qva de Usu & Abusu Synagogæ Veteris in interpretatione N. Fœderis agitur.* Quodsi in specie excutienda foret qvæstio; quid judicandum sit de sequioris ævi gradibus inter Archi-Episcopos, Episcopos, Sacerdotes & Diaconos constitutis, de quibus constat, quod in Scriptis Apostolorum non inveniant locum. Vid. *Instit. Juris Eccl. in usum Auditorii* PFAFFIANI *Lib. II. Cap. I.* Tunc quidem novimus, VITRINGAM etiam in hoc passu suam non deserere hypothesin, siquidem *pag. 45.* expresse scribit: *Observatum jam est in antecedentibus, convenientiam, qvæ inter Synagogam & Ecclesiam est, adeo esse exactam, ut non tantum Synagogæ nomen, sed nomina Pastorum, Presbyterorum, Angeli Ecclesiæ, Diaconorum,* &c. *absqve ulla mutatione translata sint ad Ecclesiam Christianam; cum è contra nomen templi nunqvam; nomina vero Sacerdotum & sacrificiorum nunqvam directe & proprie, sed semper μεταφορικῶς, loco, Administris Sacrorum & cultui Ecclesiæ Novi Fœderis applicentur. Unde tutum est colligere, formam Ecclesiæ Christianæ magis convenire cum Synagoga, qvam cum Templo.* Verum enim vero, licet ultro concedamus, functionem istam Sacerdotalem, qua sacrificia corporalia olim offerenda fuere, non in sensu *proprio* competere sacrorum in N. T. Administris; nihilo tamen minus existimamus, & quidem ob ea, quæ in hac dissertatione de *Sacerdotibus* ac *Levitis* N. T. ex Scriptura Prophetica sunt allata & adstructa, quod ministerium N. T. magis sit efformatum, juxta formam Templi quam Synagogæ

Qvod ipsum sequentes nostræ meditationes evictum dabunt. Interea quod VITRINGAM concernit, hic non dissimulat *Cap. VI, Prolegomen. p. m. 63.* se *contra Pontificios disputasse*, qui volunt, quod eadem forma ministerii servari debeat, quæ in Veteri Templo observata fuit. Sed hoc nequaquam volumus; cavendum tamen nobis est, ne contra Pontificios disputantes quicquam negemus, quod negari haud debebat. Ipse VITRINGA concedit *Cap. IV. Prolegom. p. m. 27. Ritus sacros Synagogæ peractos etiam esse in Templo*, it. *Templum fuisse statum ac ordinarium locum Deum precandi, laudandi eiqve gratias agendi & populo benedicendi.* Et *pag. 54. Esse aliqvalem convenientiam inter distinctos Sacerdotum ac Levitarum & Presbyterorum ac Diaconorum Ecclesia ordines.* Similiter *pag. 55. Presbyteros & Diaconos res tractare sacras in Ecclesia, qvarum cura in templo demandata erat Sacerdotibus & Levitis.* Brevitatis causa alia omittimus a VITRINGA & concessa & admissa. Haud itaque videmus, cur potius ex *Synagoga*, quam ex *Templo* derivare voluerit istam, quæ inter utriusque Testamenti ministros intercedit, convenientiam. Præstat quippe ad *Archetypon* recurrere quam ad *ectypon*. Archetypon est templum, Synagoga vero tantum est ectypon. Sed satis his immorati sumus.

§. XXVIII. Possemus pro asserto nostro, quod *Sacerdotes* ac *Levitæ* N. T. de quibus prædixere Prophetæ, etiam plurimorum nostræ Ecclesiæ Theologorum allegare consensum. Verum cum supra ipsorum jam adductæ sunt expositiones, ex quibus colligere datur, quinam ante nos eandem foverint sententiam, unicum adducere placet SALOM. GLASSIUM, *qvi in Philol. S. L. II. P. I. Tr. II. Sect. IV. Art. VII.* hæc habet: *Qvemadmodum summus V. T. Sacerdos Christi typus fuit; ita inferiores Sacerdotes ac Levitas Apostolorum ac reliqvorum ministrorum N. T. typos fuisse, haud absurde dicitur. Unde Mal. III. 3. ministri N. T. typica appellatione vocantur filii Levi.* Add. *Art. VII. Can. 9.* ubi scribit: *Malach. III. ministri Ecclesiæ N. T. dicuntur filii Levi, qvia hi illorum typi fuere.* Duorum vero eorundemque celebriorum Ecclesiæ Reformatæ Theologorum subnectimus testimonia. Primum est ipsius CAMPEGII VITRINGÆ ex *Lib. de Syn. Vet. Prolegom. Cap. VI. p. m. 67. Nullus negat aut negare etiam potest, qvod Levitæ æqve fuerint typi Præpositorum Ecclesiæ ac Sacerdotes,*

cerdotes, quatenus Præfecti Ecclesiæ sunt διάκονοι τῦ χριστῦ ministri Christi Sacerdotis, quo titulo in sanctis literis designantur. Quando apud Esaiam & in Psalmis mentio est Sacerdotum & Levitarum, eligendorum ex gentibus, non sane ad Pastores & Diaconos respicitur distincte, sed potius γενικῶς his titulis exprimuntur omnes Dei & Evangelii Ministri. Quæ plane ipsa nostra est sententia. Alterum est HERMANNI WITSII in Ægyptiacis & quidem in adjecto de decem tribubus Israël libro singulari Cap. XIII. §. XVIII. & XIX. *Invenio Sacerdotes Levitas Jer. XXXIII. 18 21. 22. Sed id quod de Sacerdotibus prædictum est aliquando ita coarctatur, aliquando ita amplificatur, ut neutrum cum Sacerdotio Levitico, quale á Mose institutum est, consistere possit. In Ezechielis templo datur Sacerdotium solis filiis Zadok Ezech. XL. 45. XLIII. 19. XLIV. 15. Quod si literaliter intelligendum est, reliquæ familiæ Aaronidarum, utcunque religiosæ, excludentur â jure, quod ipsis Mosis lege datum est. Contra Jes. LXVI. 21. prædicit Deus, se etiam ex iis, qui neque Sacerdotes, neque Levitæ sunt, assumpturum in Sacerdotes & Levitas. Quæ conciliari prorsus non possunt, si Legis tenenda sit litera. Quid ergo? Sacerdotes notant Ecclesiæ Antecessores, fratribus suis in publico verbi & precum ministerio præeuntes. Hos filios Zadoki vocat Ezechiel, ut ostendat, officium eorum esse in omni de regno Ecclesiæ contentione soli Christo firmiter adhærere, quamvis multi, qui proximi Christo esse videntur, in alia omnia eant; quemadmodum Zadok adhæsit Davidi & Salomoni, in fide promissionis utrique factæ, quando controversiam iis de regno faciebat Adonia. Jesaias autem ex omnibus fratribus Sacerdotes & Levitas assumptum iri prædicit, sine tribuum, sine gentium discrimine; quod omnium opera uti destinaverit Deus, ut ex omnibus sibi gentibus munus offerant. Munus illud sunt ipsæ gentes, dicantes se Domino, & membra sua sistentes sacrificium vivum. Ji, quorum ministerio adducuntur, Sacerdotes vocantur & Levitæ, propter sacram illam Evangelii λειτουργίαν, de qua Paulus Rom. XV. 16.*

§. XXVIII. Aliquid forte præstitimus hactenus, sed nondum nostram absolvimus meditationem. Minime enim sufficit nosse, quinam sint *Sacerdotes* & *Levitæ* N. T. Sed inquirendum est ulterius, cur Spiritui S. placuerit, hisce titulis, hisque nominibus insignire illos, qui hodie Ecclesiarum vocantur mi-

nistri, ut intelligamus, quomodo hæc in usum nostrum convertere queamus. Novimus ex utriusque sacri Codicis collatione, quod is, qui in veteri promissus est Testamento Elias designaverit Johan. Baptist., Spiritu ac virtute Eliæ instructum, atque sic Eliam typum fuisse Johannis. Habet quidem collatio Sacerdotum Levitarumque cum ministris N. T. suas difficultates, hæ tamen aliqua ex parte superari poterunt, si præjudicatis omnibus sepositis in simplicitate attendamus luci verbi cœlestis, in quantum hoc nobis facem præfert. Quodsi tamen hic noster labor non omne tulerit punctum, veniam tamen eo confidentiori speramus animo, quia omnes recte sentientes fatebuntur vera esse, quæ CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIUS *in Introd. in Hist. Lit. pag. 94.* de Theologia Typica monuit: *Ut vero dicamus*, inquit, *qvod res est, hæc Theologiæ pars nondum exculta satis est, nec ejusmodi qvoddam formatum systema, qvod soliditatis luce niteat, ubi impleta & implenda, ex genuina rerum in orbe & Ecclesia gestarum diiudicatione, qva in re Gurtlerus vel maxime hallucinatus est, rite distincta, ubi vaticinia V. Noviqve T. in egregiam qvandam harmoniam fusa, & præstantissimi canones dati fuerint, juxta qvos in vaticiniorum explicatione & applicatione sit procedendum. Ad ἐποχὴν vero tanqvam ad anchorum sacram sæpissime hic currendam esse, res ipsa, nobis tacentibus, docet.*

§. XXX. Experturis, quid præstare valeamus in hoc non infimi momenti negotio, omnium primo contemplandum venit nomen *Levi.* JOH BRAUNIUS *in Select. Sacris Lib. V. Exerc. III. p. m. 666.* merito deliriis annumerat, quando PLUTARCHUS l. 3. Symp. *Levi* dictum à Lysio aut ab *Evo*, statuit. Nobis constat, quod ortum suum habeat â rad. Hebr. לוה, quæ non modo significat *mutuum accipere*, sed etiam *adhærescere.* In posteriori sensu hoc verbum quondam usurpasse *Leam*, matrem Patriarchæ totius tribus, quæ postea ad ministerii Ecclesiastici dignitatem evecta est, cum filio suo inderet nomen *Levi*, constat ex Gen. XXIX. 34. ילוה אישי עלי *adjungetur* vel *adhærescet vir meus mihi.* LXX. πρὸς ἐμὲ ἔσαι. Observari omnino meretur, isto tempore, cum Israël in deserto vitulum aureum sibi idolum constituerat, Mosen convocasse hujus idololatriæ vindices hosque sic allocutum

locutum esse: מי ליהוה אלי. LXX. τίς πρὸς κύριον ἴτω πρὸς μέ, LUTHERUS ita reddit: Her zu mir/ wer dem HErren angehöret/ Exod. XXXII. 26. & confestim additur, venisse ad Mosen omnes filios Levi. Si vera essent, quæ *Maimonides* tradit de idololatr. Cap. I. §. 8. 9. 10. Jacobum patrem filium Levi constituisse Præfectum Academiæ, ac reliquis suis filiis serio injunxisse, ne Doctores ex ea tribu unquam paterentur deficere; insigne accresceret piæ nostræ intentioni momentum. Sed mittamus ista & quæramus firmiora fundamenta. Legimus Gen. XLIX. 1. Jacobum morti vicinum convocasse filios suos, ut ipsis indicaret, quæ iisdem sequentibus eventura essent diebus. Similiter v. 28. Jacobum benedixisse filiis suis, & quidem unicuique benedictione benedixisse. Hæc verba nos commovent, ut in v. 5. 6 7. etiam benedictionem quæramus pro *Simeone* & *Levi*. Videntur primo intuitu hi versus nil continerere benedictionis, sed maledictionis esse pleniſſimi. Ita enim fluunt verba: *Schimeon & Levi, fratres; instrumenta violentiæ machæræ eorum fuerunt. In arcanum eorum ne veniat anima mea; cum congregatione eorum ne uniatur gloria mea: qvia in ira sua occiderunt virum, & in proposito suo enervarunt bovem. Maledicta ira eorum, qvia vehemens; & furor eorum, qvia gravis est: Dividam eos inter Jacobum & dispergam eos inter Israëlem.* Verum enim vero, vult omnino v. 28. ut etiam benedictionem quæramus in verbis Jacobi, alias Spiritus S. non dixisset, quod איש *cuiqve* filiorum suorum benedixerit Jacobus. Qvænam ergo hæc benedictio? Ad *Simeonem* pertinent verba: *Dividam eos in Jacob* אחלקם ביעקב. Complementum vid. Jos. XIX. 1. ubi docetur, quod filii Simeon portionem suam hæreditariam acceperint inter filios Juda. Ad *Levi* autem tanquam natu minorem referenda sunt ultima verba ואפיצם בישראל *& dispergam eos per vel inter Israëlem.* Hæc ultima verba insinuant, quod tribus *Levi* dispergenda sit inter omnes tribus Israël, quod etiam factum, postquam eidem sacrum in Ecclesia Israëlitica commissum est ministerium docendi cultusque Dei publici promovendi. Qvis itaque dubitaret amplius, Patriarchum Jacobum divino Spiritu agitatum respexisse ad prærogativam istam, quam

postea

postea nacta est hæc tribus in Sacro Dei ministerio. Qvod ipsum quoque perspexit *Hierosolymitanus Paraphrastes* hoc Jacobi vaticinium sic illustrans; אפליג ית שבטא דשמעון סבריו מלפי אוריתא בכנישתא דיעקב ואבדר ית שבטא דלוי בבתי מדרשיא דבני ישראל. i. e. *Dividam tribum Simeonis, ut sint periti Doctores Legis in Synagoga Jacob, tribum vero Levi distribuam, ut præsint Academiis filiorum Israël.* Qvicqvid autem sit de tribu *Simeon*, non nobis hoc sumimus, ut ejus intuitu nostram faciamus Paraphrastæ citati expositionem, cujus fundamentum ex ipsa Scriptura indicare non valemus, de tribu tamen *Levi* inter omnes constat, quod speciale docendi munus per omnes Israëlitarum terras eidem fuerit concessum, adeoque nullum nobis est dubium, Jacobum quoque ad id in sua benedictione respexisse. Qvid itaque, si diceremus: Ipsum hujus tribus Patriarcham divino quoque ex decreto atque consilio accepisse nomen *Levi*, etiamsi mater longe alias habuerit cogitationes. Qvo enim consilio mater hoc nomen indiderit filio suo, abunde constat. Ast quem latet: Caipham vaticinantem aliam fovisse verborum suorum sensum, aliam vero fuisse Spiritus S. mentem. Joh. XI. 49. 50. 51. Nota sunt verba Sanctissimi Numinis hoc universum sapientissime regentis Es. LV. 8. *Non enim cogitationes meæ (sunt) cogitationes vestræ, nec viæ vestræ, viæ meæ.* Qvid ergo dicere impedit, Deum etiam hujus nominis *Levi* impositionem ita direxisse, ut quamvis mater suas peculiares habuerit meditationes, ipse tamen probe præviderit, tribum *Levi* sibi aliquando præ reliquis adhæsuram esse, non modo firma cordis fiducia ex fide in Messiam orta, sed etiam in cultu sacro solenni & in doctrinæ salutaris institutione. Habent ad minimum *Levitæ* N. T. occasionem ex hoc nomine amplissimam, quotidie semetipsos aliosque suos commilitones excitandi, ut Deo adhæreant, non vero curent quæ ad hoc seculum pertinent, sed ut sui tantum muneris rationem habeant indefessam. Ita enim & *Levitæ* N. T. comparati esse debent. Qvem in finem evolvi poterunt Christi & Apostolorum dicta. Matth. III. 18 - 22. X. 5. 6. 7. Act. VI. 2. 2 Tim. II 2. 3. 4. Possunt itaque *Levitæ* V. T. *Levitis* N. T. exemplar esse, quod hi imitentur, ut non

folo

solo nomine, sed ipso quoque facto sint adhærentes Domino, neque ab eodem se ulla ratione divelli patiantur.

§. XXXI. Ediderant *Levitæ* fidei virtutumque suarum egregia specimina, antequam ipsum sacrum iisdem concredebatur munus. Patet hoc ex historia μοχολατρείας Exod. Cap. XXXII. descripta. Licet ipse *Aaron* hoc sese contaminaverat vitio, quem frustra FRANC. MONCÆJUS in libro cujus titulus est: *Aaron purgatus*; ab omni idololatria liberare allaboravit; minime tamen ipsius exemplum secuti fuerunt *Levitæ*. Nolumus quidem, quoscunque ex tribu Levi natos ab isto crimine immunes mansisse, siquidem contrarium satis firmiter demonstrari potest ex hujus Cap. v. 29. & Deut XXXIII. 9. conf. JOH. FRANC. BUDDEI *Hist. Eccl. V. T. p. 615.* Nec juvat illos, qui omnes & singulos Levitas immunes mansisse autumant, Exod. XXXII. 26. Mosen proclamasse: *Quisquis est Jehovæ, ad me*, scil. veniat, &, *congregatos esse* ad Mosen omnes filios Levi. Nam probe observat JOH. ADAMUS OSIANDER *in Comm. in Pentateuchum quæst. 1. ad v. 25. Hoc non est testimonium Levitarum innocentiæ, sed admonitio officii & provocatio ad seriam pœnitentiam. At inquis, omnes filii Levi ad Mosen sunt aggregati. Qui aggregati sunt, omnes fuerunt Levitæ: Non autem ideo simpliciter omnes Levitæ venisse sunt putandi.* Dicendum itaque, quod quidam ex Levitis se quidem Moscholatrias vitio commaculaverint, alii vero se neque post Aaronis, neque post fratrum suorum exempla iverint, potius Deo constanter adhæserint, promptumque in interficiendis idololatris Deo obsequium præstiterint. Quæ hæc non sunt fidei virtutumque specimina? Hæc sibi commendata habeant *Studiosi nostri*, qui ad sacra adspirant officia Ecclesiastica, quique stylo Prophetico *Levitarum filii* vocari possunt. Non decet imitari Præceptorum vitia, non convenit errare in viis Patrum aut Doctorum deviis, etiamsi in maxima constituti sint dignitate; Et quamvis errantium magnus sit numerus, quamvis plurimi ex commilitonibus fecerint cum Doctore errante, quilibet tamen genuinus Levitarum filius memor esse debet proverbii illius, quod *multitudo errantium non pariat errori patrocinium*, Aarone declinante & à via recta recedente.

non declinabant neque recedebant *Levitæ*, cultus divini purioris tenaciſſimi. Imo! contribulibus ſuis deficientibus non deficiebant, ſed abominabantur potius turpiſſimam idololatriam, & à Moſe excitati debitam à criminis commiſſi ſociis vindictam ſumebant. Magnum profecto inde oritur Eccleſiæ Jeſu Chriſti incommodum atque exitium, quod multi hodie *Levitarum filii* cœco ſœpius affectu, imbibant doctrinas Præceptorum ſuorum, horumque imitentur mores, *qvo enim ſemel eſt imbuta recens ſervat odorem teſta diu.* Utinam hi mature ſapere diſcerent, & intelligerent, quid ſibi velint verba Salvatoris noſtri Matth. XXIII. v. 8. 9. 10. *Vos vero nolite vocari Rabbi. Unus enim eſt veſter Magiſter, Chriſtus, omnes autem vos fratres eſtis. Et Patrem ne vocetis veſtrum in terrra, (ambitioſe qvenqvam) unus namq; eſt Pater veſter, qvi in cœlis eſt. Neqve vocemini Magiſtri: Unus enim veſter eſt Magiſter, Chriſtus.* Et quæ leguntur Joh. VI. 66. 67. 68. *Ex hoc multi abiverunt diſcipulorum ipſius, in ea, qvæ retro & non amplius cum ipſo ambulabant. Dixit ergo JESUS ad duodecim, num etiam vos vultis abire? Reſpondit ergo ipſi Simon Petrus: Domine, ad qvem abibimus? Verba vitæ æternæ habes.*

§. XXXII. Certus erat Levitis à Moſe præſcriptus ætatis terminus, quo præſente ipſis demum obeunda erant deſtinata munia. Videtur quidem, variaſſe Moſen in determinanda ætate, dum Num. IV. 3. annum expreſſit ætatis *trigeſimum*, Cap. autem VIII. 24. *vigeſimum qvintum.* Aſt obſervant interpretes: Annum trigeſimum requiſitum fuiſſe, quando ſuſcipienda fuit ipſa plenaria officii ſacri adminiſtratio; viceſimum qvintum autem, quando ut *Candidati* recipiendi, & ad ſacrorum legitimam adminiſtrationem per varia exercitia præparandi erant. Qvod reliquam & quidem primam ipſorum concernit inſtitutionem, quis dubitaret, Levitas proprias ſuas urbes inhabitantes omnem quoque operam impendiſſe, ut filios ſuos, quos ad ſacrum miniſterium & ad cultum Dei publicum deſtinatos eſſe ſciebant, ab ipſa infantia imbuerent vera fidei & morum doctrina. Recte omnino ſeſe habent, quæ LIGHTFOOTUS nobis reliquit in Centuria Chorographica Matthæo præmiſſa Cap. XCVII. *Qvadragin-*

ta

ta octo civitates istæ Levitarum erant tot Academiæ, quo tribus ministerialis turmatim distributa, studio legis incubuit, docta evasit, atque inde per totam gentem disseminata, doctrinam & scientiam legis per omnes Synagogas seminavit. Præsupponendum itaque est, ordinarias scholas publicas fuisse in urbibus Levitarum, neque audiendum esse SIGONIUM, qui *L. II. de Rep. Hebr. cap. 8.* existimat: Illas demum in captivitate Babylonica erectas esse; conf. LUNDII Jüdische Heiligthum. *fol. 764. n. 8.* & quamvis aliquando etiam Prophetæ scholas erexerint, has tamen tantum fuisse extraordinarias. Nos, missis illis quæ *Levitis* V. T. fuere propria, potissimum solliciti sumus, quomodo juvenile studium Levitarum nostris commendemus Theologiæ Cultoribus. Sunt qui vix unum alterumve in Academiis transigere annum, & confestim publica desiderant officia Ecclesiastica, existimantes, si modo ex suggestu sacro verba quædam proferre didicerint, se satis esse idoneos, ut aliis præficiantur & Doctores animarumq; Curatores audiant, temere provocantes ad exemplum *Timothei*, qui propter juventutem suam non erat contemnendus. Verum enim vero, hi in exemplum sibi deberent eligere Levitarum filios, & studiosissime secum perpendere, quomodo illi à teneris ad parentum suorum consederint pedes, iisdem auscultaverint, omnemque doctrinam cœlestem & salutarem ex ipsorun institutione hauserint; Similiter, quomodo isti ut S. S. Ministerii Candidati per integrum quinquennium, in omni praxi ministeriali se exercere debuerint, sibique habitum acquirere in omnibus & singulis sacrorum officiorum functionibus, antequam ad plenariam officiorum suorum pervenerint administrationem. Num forte existimant: minoris momenti esse Ministerium Novi Testamenti? Falluntur qui ita sentiunt, & certe aliter sentirent, si justum eidem statuere didicissent pretium. Non satis est prompte & elata voce ad populum verba fundere, sed pascendus est grex Domini, qui pascendus est *cognitione & intelligentia*, Jer. III. 15. Ipsi interdum vix prima norunt Catecheseos elementa, Scripturæ S. scrutinium, quid sit, & quomodo fieri debeat, ignorant; qvæsiti de distinctione Legis & Evangelii, dubii

hærent ac ſuſpenſi; œconomiam ſalutis non didicerunt, & qualis cibus modo huic modo illi auditorum ſit proponendus, ipſos latet; Legis præconio terrent, quos Evangelii ſolamine oportebat erigere, & Evangelium propinant illis, quos legis malleo conterere neceſſum erat. Nil norunt de praxibus miniſterialibus, omni ſpirituali deſtituti ſunt experientia, ipſi nunquam pœnitentiam egerunt, nunquam ullum habuerunt fidei ſenſum, ne quidem catechumenos rite informare didicerunt, tantum abeſt, ut intelligant, quomodo pro exigentia adultorum ipſimet ſuas elaborare debeant conciones; ut taceamus reliquos ſacri officii Eccleſiaſtici partes: Sibi enim ſufficere putant, ſi ex Poſtillis quædam corradere, corraſa memoriæ mandare, ſtentoreaque voce deinceps recitare queant. Utinam hi ad exemplum Timothei ἀπὸ βρέφους à puero vel *ab infantia ſacras literas* didiciſſent, juxta 2. Tim. III. 15. & non ſolum ex verſionibus, ſed ex ipſis quoque Codicibus Sacris originalibus voluntatem Dei cognoviſſent, & omnes miniſterii Eccleſiaſtici praxes ſibi familiares reddidiſſent, tunc quoque in juvenili ætate Presbyteros agere poſſent, omnemque contemptum juventutis à ſe amovere inſtructi eſſent, non enim in Novo Fœdere ad ætatem Leviticam alligati ſumus, modo obſerventur graviſſima illa monita Paulina 1. Tim. III. 1. 2. 3. 4. 5. 7. 8. 9. 10. Nos duo ultima hic tantum exprimemus commata: *Habentes myſterium fidei in pura conſcientia. Hi vero etiam probantor prius, deinde miniſtrent, ſi fuerint irreprehenſibiles.* Dolendum ſane eſt quam maxime, quod maxima Studioſorum Theologiæ pars, neglectis ſtudiis Philoſophicis, & Philologia cumprimis ſacra penitus ſpreta, in ſanctiora involent ſtudia, inque his non omnes tractent Theologiæ partes, ſed plerasque intactas eſſe ſinant. In Exegeticis, in Moralibus, in Polemicis, in Caſualibus, in Aſceticis, quicquid proponitur, communiter negligunt, contemnunt, vilipendunt. Imo, quæ quam maxime neceſſaria eſt, Theologia Catechetica, ipſis ſordet, hinc ſacris officiis admoti examina Catechetica tam miſere ſœpe inſtituuntur, ut tædeat quoscunque, qui iisdem intereſſe tenentur. Utinam Studioſi Theologiæ in Academiis viventes non

tantum

tantum frequentarent omnis generis Collegia Theologica, sed & favorem quærerent ac benevolum affectum eorum Ecclesiæ Ministrorum, qui laudabilem ad ædificationem gregis sibi commissi operam impendunt, ipsorum institutionibus Catecheticis publicis frequentes interessent, unacum ipsis ægrotos, tentatos, meleficos visitarent, & universam praxeos ministerialis rationem, in exercitatissimis observatam, sibi quam maxime redderent cognitam atque perspectam. In memoriam hac occasione nobis revocamus, quod in ipsis annis nostris Academicis jam notavimus ex Joh. Balth. Schuppii geplagten *Hiob*, & quidem ex Dedicatione illius scripti, ubi circa finem hæc habet: Jener vornehmer Prediger sagte einsmahls/ er habe das gröste Stück seiner Theologischen Wissenschafft gelernet bey dem Galgen und in der Bütteley/ unter leichtfertigen Schelmen/ Dieben/ Mördern/ Strassen-Räubern/ Hexen und Zauberinnen/ und dergleichen leichtfertigen Huren und Buben/ welche jetz haben bey gesunden Leibe des Todes erwarten/ und geköpfft/ gehenckt/ verbrandt/ und geradbrecht werden sollen. Plura ibidem occurrunt notatu dignissima. O quam felices olim fuere *Levitarum filii*, qui per integrum quinquennium exercitatissimorum Levitarum ministrantium praxes observare potuerunt! Sed non minor erit Studiosorum nostrorum felicitas, si quacunque occasione oblata, ex praxibus probatissimorum Ecclesiæ nostræ Doctorum, ea quoque addiscere velint, quæ ipsis aliquando ex usu venire possunt. Sed aliæ adhuc restant meditationes in chartam exscribendæ, quæ ad nostrum omnino spectant scopum.

§. XXXIII. Plane singulare erat in *Levitis* æque ac *Sacerdotibus* V. T. quod una eademque communis omnibus ex tribu Levi oriundis sufficerit ad sua obeunda munia vocatio, de qua conferri poterit Num. Cap. III. v. 5. 6. & sqq. Habebat ista vocatio ipsum Deum Autorem, hic vero non modo vocabat *regenitos*, sed etiam *irregenitos*, quod probe notari meretur. Quis enim diceret: Omnes *Levitas* fuisse *vere renatos?* Talis vocandi modus generalis quidem cessat in N. T. Nihilo tamen minus testatur Scriptura N. T. quod nemo publicum in Ecclesia J. C. exercere

 debeat

debeat officium nisi legitime sit vocatus, adeoque & hac in parte aliqua est inter typum & antitypum correlatio. Primus Novi Testamenti præco Johannes Baptista immediate à Deo vocatus legitur Luc. III. 2. Quomodo Christus suos vocaverit Apostolos atque LXX. discipulos, suos in docendo Evangelio ministros, ex omnium Evangelistarum scriptis est notissimum. Post infelicissimum Judæ exitum, per sortem in Collegium Apostolicum receptum esse Matthiam, Lucas commemorat in Act. Ap. I. 21. sq. Qva ratione deinceps ordinariis doctrinæ Evangelicæ præconibus vocationes obtigerint, claret partim ex Actis Apost. partim ex Epistolis Paulinis. Qvamvis vero in ipso vocandi Ecclesiæ ministros exercitio semper aliqua fuerit diversitas, quatenus jus toti Ecclesiæ commune certis quibusdam personis exercendum vel promissum, vel concreditum fuit; Ipsa tamen vocatio semper judicata fuit necessaria. Unde & in Aug. Conf. Art. XIV. ita sonat: *De ordine Ecclesiastico docent, qvod nemo debeat in Ecclesia publice docere, aut Sacramenta administrare, nisi rite vocatus.* Ea vero vocatio merito ut rite facta consideratur, quando vocans ad præscriptum Spiritus S. vocat personam ad ministerium verbi in Ecclesia subeundum satis idoneam & irreprehensibilem. Multa paucis hisce complexi sumus verbis, quæ prolixius jam enodare non vacat; cum innumera alias hic tangenda essent ulcera, quæ ut tandem removeantur ex corpore Ecclesiæ, ardentissimis precibus Sanctissimi Numinis imploramus opem. Hoc maxime desideramus, ut & vocantes & vocati suis velint consulere conscientiis, ne aliquando Deo justissimo omnis iniquitatis vindici rationem reddere teneantur, de summis injuriis, quibus Ecclesiam Domini afficiunt. Opus quoq; erit, ut quoties vocatio fieri debet, omnes parochiani calidissimis precibus fidelem sibi apud Deum exposcant in vinea Domini operarium. Nec jure quispiam indignari poterit, si & ordini sacro sua jura circa vocatos examinandos, ordinandos atque instituendos salva & inviolata cupiamus. *Qvod* enim *tibi non vis fieri nec alteri feceris.* Novitatibus non opus est, quamdiu pia majorum instituta nullam merentur reprehensionem, neque eximia Ecclesiæ emendatio

per

per nova instituta sperari potest. Memorabile est Pauli effatum 1. Cor. VI. 12. *πάντα μοι ἔξεστιν, ἀλλ' ὐ πάντα συμφέρει, omnia mihi licent, sed non omnia prosunt.*

§. XXXIV. Ad quod negotium vocati fuerint Levitæ V. T., in compendio videre est, ex duobus Locis Biblicis. Deutr. XXXIII. 8. 9. 10. *De Levi porro dixit: Thummim tui, & Urim tui (erunt) viro Sancto tuo, quem tentasti in Massa, contendisti cum eo apud aquas Meriba. Qui dixit patri suo, & matri suæ; non vidi vos; & fratres suos non agnovit, ac filios suos non novit: nam custodiverunt verbum tuum, & fœdus tuum servant. Docebunt judicia tua Jacobum, & legem tuam Israëlem: ponent suffitum in nasum tuum, & holocaustum super altare tuum.* Apud Malachiam alter reperitur locus Cap. II. v. 5. 6. 7. in quibus ipse Deus per Malachiam Prophetam suum, de tribu *Levi* sic loquitur: *Fœdus meum fuit cum eo, vitæ (scilicet) & pacis, quæ dedi illi (cum) timore, ut timeret me: ideo propter Nomen meum timuit ille sibi. Lex veritatis fuit in ore ejus, & perversitas non est inventa in labiis ejus; in pace & rectitudine ambulavit mecum, multosq; avertit ab iniqvitate. Labia namqve Sacerdotis custodire debent scientiam, ut legem quærant ex ore ejus; qvia Angelus Jehovæ Zebaoth ille.* Qvisqvis omni absque præjudicio hæc legit, hæc perpendit, hæc meditatur, non potest alios sibi formare conceptus, quam, quod tribui Levi unacum officio *sacrificandi* etiam concessum fuerit officium *docendi.* Qvod prius concernit, supra jam monitum est, illud adumbrasse officium Christi Sacerdotale, & Paulus in Epistola ad Hebræos *antitypum* adeo arcte ad Christum restringit, ut præter illum neminem agnoscat antitypum. Et certe hæc gloria *Sacerdotii* sub œconomia gratiæ nemini competit, nisi unico & soli Sacerdoti N. T. Domino nostro Jesu Christo. Adeoque etiam absque omni hæsitatione pronunciamus, quod ministri Ecclesiæ N. T. non sint *Sacerdotes*, neque isto in sensu ita nominandi, quia nulla amplius sunt *sacrificia proprie* sic dicta, quæ offerri debent, postquam Christus Dominus noster semel semetipsum obtulit *pro nobis oblationem & sacrificium Deo in odorem fragrantiæ* Eph. V. 2. *Una namqve oblatione consummavit in perpetuum eos, qvi sanctificantur.* Ebr. X. 14. Et notanter scribit Apostolus C. VIII.

23. 24.

23. 24. *Et illi quidem*, loquitur de Sacerdotibus V. T., *plures sunt facti Sacerdotes, eo quod morte prohibiti sunt permanere. HIC vero, propterea quod manet, non transiens habet Sacerdotium.* Verum enim vero, quod posterius concernit officium *Levitarum, docendo* administratum, quis negare auderet, ipsos typum gessisse ministrorum Ecclesiasticorum Novi Testamenti? Conferamus cum dictis ex Devteronomio & Malachia in hoc ipso §. citatis ex N. T. Matth. XXVIII. 19. 20. ubi Christus ad vocatos suos Ecclesiæ Ministros dixit: *Euntes ergo, discipulos facite* (mihi) *omnes gentes, BAPTIZANTES eos, in Nomen Patris & Filii & Spiritus S. DOCENTES eos, servare omnia, quæcunque mandavi vobis.* Adde 1 Cor. XII. 28. & Eph. IV. 10. 11. 12. quæ loca jam supra verbo tenus exscripta dedimus. Omni certe attentione dignum, quod 1. Cor. XII. statim post v. 28. hæc v. 29. subjecta sint verba: *Num omnes Apostoli? Num omnes Prophetæ? Num omnes Doctores? Num omnes virtutes?* Plus lucis capiet hæc nostra sententia, si consideremus, quod Ecclesia Novi Testamenti, non tantum comparetur cum domo, quæ etiam expresse *templum* vocatur Eph. II. 19. - 22. & sancti quicunque non modo salutentur *domestici Dei*, ib. v. 19. sed etiam *lapides vivi* 1. Petr. II. 4. E contra *Verbi divini præcones* nominantur *œconomi* vel *dispensatores mysteriorum divinorum* & *ministri Christi.* Similiter Paulus, quando Timotheum suum informat, inter alia hisce notatu dignissimis utitur verbis 1. Ep. III. 14. 15. *Hæc tibi scribo, sperans venturum* (me) *ad te brevi: Si vero tardem, ut scias, quomodo oporteat in DOMO DEI conversari, quæ est ECCLESIA Dei viventis* &c. Hisce meditationibus intentis in memoriam venit, *Levitis* quondam *custodiam templi* fuisse concreditam; Respondet antitypus peregregie, quando Paulus Hebr. XIII, 17. scribit: *Obedite ductoribus vestris & obsequimini, ipsi enim vigilant pro animabus vestris, tanquam rationem reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes: incommodum enim vobis hoc.* Sed quid multis operosi sumus, ut ostendamus convenientiam inter ministerium Leviticum V. & N. T. cum dudum ante nos eandem observaverint Theologi de Ecclesia Jesu Christi optime meriti. Pluribus mentem suam & quidem satis ingeniose satisque recte, quantum

tum nos judicare valemus, antea jam citatus Dn. HAFENREFFERUS *in Templo Ezech. p. 317. & sq.* exposuit. Brevior quidem non tamen minus accuratior fuit, quando hac de materia differuit, FRIDERICUS BALDUINUS *in Comm. in Malachiam p. m. 1782.* unde, dum singula ipsius verba & nostra facimus, illa integra hic apponere volupe est. *Imago veri Deoq; probati Ecclesiæ ministri. Is enim hic describitur* (1) *qvoad doctrinam*, (2) *qvoad mores*, & (3) *qvoad officium. Doctrina ejus debet esse vera, seu Sacræ Scripturæ consentanea, ut de eo dici possit: Lex veritatis est in ore ejus. Huc referri potest illud Apostolicum 1. Tim. IV. 16. Attende tibi & doctrinæ; nimirum qvid & qvomodo doceas, ne à norma veritatis aberres: anathema enim sunt, qvi Evangelium aliud prædicaverint, qvam qvod prædicatum est ab Apostolis. Gal. I. Ad veritatem autem doctrinæ propagandam pertinet etiam redargutio falsitatis; Oportet enim Episcopum esse non modo διδακτικὸν, sed & ἐλεγκτικὸν, qvi corripere possit eos, qvi resistunt veritati, 1. Tim. II. 25. Mores debent esse irreprehensibiles, dicente Apostolo Paulo 1. Tim. III. 2. Hoc vocat Propheta noster in pace & æqvitate ambulare cum Domino absqve odio proximi, absqve fuco aut simulatione caritatis, sed vero & sincero animi affectu, ut nimirum minister forma sit fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate, 1. Tim. IV. 12. Officium denique* (1) *in eo consistit, ut auditores avertat ab iniqvitate, hoc est ab erroribus in doctrina, & ab erratis in vita, qvem finem instituti ministerii Regius Propheta etiam agnoscit in Psalm. LI. 15.* (2) *Ut custodiat scientiam, gnarus nimirum rerum, ad Ecclesiæ administrationem & conscientiæ gubernationem pertinentium, qvo pertinet exhortatio Apostolica 1. Tim. IV. 13. Attende lectioni, exhortationi ac doctrinæ.* (3) *Ut sit Angelus*, i. e. *legatus nunciusq; Domini, qvemadmodum alibi vocatur, Es. XXXIII. 2. Cor. V. qvo honorifico titulo admonetur, se non proprio arbitrio, sed juxta ductum & præscriptum Domini docere, non humana sed divina autoritate commonefactiones, exhortationes, reliqvasq; muneris sui partes exercere.* Conf. si placet LUNDIVS in denen Jüdischen Heiligth. *fol. 916.* it. BIERMANNI Moses und Christus *pag. 141.* Præclara illa omnia sunt, quæ ex BALDUINO adduximus & digna, quæ frequentiorem subeant quorumcunque Ecclesiæ ministrorum meditationem, quia istam contemplantes Levitarum imaginem, facile

intelligere possunt, quomodo doctrinam cœlestem proponere, mores suos componere & totum suum officium gerere debeant. Licet enim ministri Ecclesiæ Christianæ non sint Sacerdotes proprie dicti, offerentes victimas & sacrificia pro indole & natura V. T. sunt tamen כהנים *ministri* Dei & Jesu Christi. Et ex hoc fundamento quoque Sacerdotes, Germanice Priester vocari possunt. Si modo distinguamus inter *Sacerdotes* qui *sacrificant*, Opfer-Priester/ & *Sacerdotes*, qui docent, Lehr-Priester. Nec obstat, quod in Codice Sacro N. T. nunquam nomen Græcum ἱερεὺς adhibitum legatur de iis, qui verbum Evangelii annunciarunt, sufficit tamen quod διάκονοι dicti fuerint, quod vocabulum idem exprimit quod Hebr. כהנים. Forte displicuit Spiritui S. Græcum vocabulum ἱερεὺς usurpare de Evangelii præconibus, quia Sacerdotes gentilium hoc nomine etiam insigniti fuerunt. Conf. Act. XIV. 13. Ne itaque ad Christum conversi existimarent, officium Sacerdotale, quod apud Judæos æque ac gentiles *sacrificando* frequenter observabatur, in Novo Testamento etiam locum habere, verbi Evangelici præcones iis tantum insignire voluit vocabulis ac nominibus, quæ ipsorum exprimerent ministeria atque officia. Nullam proinde videmus rationem, quare nomen Priester apud nos Germanos usitatissimum, hoc in sensu retineri haud queat, præprimis cum abunde constet, nos illud non sumere in isto significatu, quem olim apud Judæos & gentiles potissimum indigitavit. Ipse Dn. Prof. Joach. Langius, postquam in der Mittel Strasse *P. IV. p. 172.* hanc formaverat thesin: Das Wort Priester oder Priesterthum/ und die im N. T. damit bezeichnete Sache/ wie es in den Schrifften des N. T. vorkomt / ist den Lehrern nicht zuzueignen/ sondern es gehöret allen wahren Christen ohne Unterscheid zu; mox subjicit: Man hat allhier wohl zu mercken / daß der Grammaticalische Ursprung des Wortes **Priester** wohl zu unterscheiden sey von dessen Biblischen Gebrauch in unser Teutschen Version. Grammatice kommt allen Ansehen nach das Wort **Priester** her aus dem Griechischen πρεσβύτερος und dem daher genommenen Lateinschen/ presbyter, welches einen Aeltisten bedeutet. Und da dieses Wort bekandter Massen von Kirchen-Aeltisten/ so zugleich öffentliche und ordent-

liche

liche Lehrer waren/ gebraucht worden/ auch im N. T. also vorkomt/ so hat man in Benennung solcher Personen im Teutschen das Wort Priester genommen oder gemacht. Darum wenn gefraget wird: Ob nicht öffentliche Lehrer Priester sind im obgedachten sensu Grammattico? So hat man mit ja zu antworten. Denn da wil die Frage nichts anders haben/ als dieses/ ob sie nicht solche Kirchen Aeltisten sind/ die da öffentlich lehren? daran kein Zweiffel ist. Ceterum cum nuperrime Dn. D. GOTTLIEB WERNSDORFFIUS, Amicus noster certissimus, *in Diss. de Regali Fidelium Sacerdotio*, qvæstionem illam: *An vox* כהן *vel Sacerdos, proprie & univoce dicatur de Sacerdote spirituali an de Ecclesiastico?* solide excusserit, actum agere nolumus, sed eo Lectorem nostrum remittimus. Interea dissimulare non possumus, quod longe alia nobis stet sententia quam Dn. JOACHIMO LANGIO, qui *l. c. p. 174.* etiam hæc habet: Zu diesem typischen Gottes-Dienst nahm GOtt aus den Kindern Jsrael den besondern Stamm Levi/ und darinnen sonderlich das Geschlecht Aaron. Diese bildete nun mit ihren Opfern **und übrigen Levitischen**/ oder **typischen Handlungen vor**/ **nicht den Lehr-Stand des Neuen Testaments**/ sondern den gantzen Christum mysticum, d. i. Christum nach seiner hochgelobten und eintzigen Person/ und nach seinen gläubigen Gliedern. Qvid vero de hac hypothesi judicandum esse censeamus, sequens dabit §.

§. XXXV. Qui aliqualem habent controversiarum in Ecclesia nostra recentissime agitatarum notitiam, probe norunt, quibus animorum motibus etiam illa ventilata fuerit de *Sacerdotio spirituali.* Dedit in compendio hujus controversiæ historiam Dn. D. WERNSDORFFIUS in Disc. proxime citata inde à p. 14. usque ad 19. & quomodo nuperrime in ipsa Regia Augustissimi Nostri FRIDERICI sede hac de materia lites fuerint suscitatæ, videre est ex Dn. D. NICOLAI BARCHII, Amici Nostri æstumatissimi, Concione Dominica XIV. post Trin. 1725. habita, Superiorum svasu & autoritate, prævia Fac. Theol. Upsal. censura & approbatione typis publicis exscripta, in Germ. vero idioma anno 1726. translata. Quæ scripta omnino legi merentur. Nos non nisi ea hic

attingemus, quæ thema noſtrum tangunt. Qvando itaque quæritur: *An actiones Levitarum typicæ tantum adumbrarint Chriſtum, ſecundum ſolam ſuam perſonam, & ſecundum membra ſua fidelia, excluſo Miniſterio Eccleſiaſtico?* Qvæ Dn. Langii eſt hypotheſis, propriis ipſius verbis §. præced. repræſentata. Tunc nobis licitum erit, æque ut Dn. Langio, noſtram ingenue exponere mentem. Ne vero *confuſionem vocum & rerum* nobis imputare queat, quam p. 177. illis imputat, qui accurationem in Theologicis perhibent, & de orthodoxia gloriantur; *omnium primo*, ipſius Dn. Langii judicio relinquimus: Annon potius ex ſua hypotheſi ſcribere debuiſſet: Quod tribus Levi, quatenus ſacrificando occupata fuit, præfiguraverit *ſolum officium Chriſti Sacerdotale*, non vero ipſius *Perſonam ſolam*. Speramus, eundem nobiscum ſenſurum eſſe, quamprimum hanc noſtram modo viderit obſervationem. *Porro* exiſtimamus, quod Levitæ in vel cum ſuis actionibus Leviticis non præfiguraverint membra Chriſti fidelia, ſed hæc præfigurata eſſe per fideles Iſraëlitas, qui tempore Veteris Teſtamenti *Regale* erant *Sacerdotium*, ſuaque ſacrificia atque munera adducebant ad ſacrarium Dei, ut circa illa Deo offerenda Deoque conſecranda Sacerdotes, & ſuo modo reliqui quoque *Levitæ*, id obſervarent, quod Deus ipſis in mandatis dederat. *Denique* & hoc addimus, *Sacerdotes* æque ac *Levitas*, quatenus fuerunt ordinarii Eccleſiæ Judaicæ *Doctores* & publicorum ſacrorum *Miniſtri*, typum geſſiſſe Doctorum verbi & totius *Miniſterii Eccleſiaſtici* ſub Novo Teſtamento. Fatemur lubentiſſime, nos ſic ſtatuentes abire à quamplurimorum Eccleſiæ noſtræ Theologorum expoſitionibus ac hypotheſibus, imo nos ex parte deſerere hypotheſes, quas ipſi hactenus habuimus, propoſuimus atque inculcavimus; Verum dum præſentis thematis elaboratio nos juſſerit quæcunque poſtponere præjudicia, & inter continuata ad Deum ſuſpiria, unice ad normam divinæ revelationis nos gerere, candide aperimus ea, quæ meditatione & ſcrutinio utriusque Sacri Codicis, nos inveniſſe ad minimum perſvaſi ſumus. Qvodſi forte præter opinionem noſtram rectam deſeruerimus tramitem, reducentibus nos maximam exhibebimus gratiam.

Interea

Interea oramus enixissime, ut â nobis dissidentes, usque ad nostram de contrario convictionem, nos patienter ferant, quemadmodum in similibus alios quoscunque benevolentissimo amplectimur affectu, ipsis suam in exegesi Sacrarum literarum libertatem, quamdiu fidei analogia non læditur, omnem permittente. Probe memores, quod in typicis Mosaicis & Prophetarum vaticiniis, varia occurrant, quæ & exercitatissimis crucem figere possunt.

§. XXXVI. Hæc itaque est mens nostra, quod Sacerdotes V. T. quatenus vel circa propria sua sacrificia, aut oblationes, aut purificationes; vel circa sacrificia, aut oblationes, aut purificationes Israëlitarum fuerunt occupati, unice præfiguraverint officium Christi Sacerdotale, mediatorium, expiatorium ac purgatorium, ut & ministerium præconum Evangelii, Diaconorum N. T. quatenus hi circa applicandum meritum Christi, circa ipsius sacrificium semel in ara crucis oblatum, & circa universam N. T. œconomiam dispensandam, aut circa ipsos Christianos ad Deum perducendos occupati sunt. Patet hoc abunde ex iis, quæ supra jam adducta sunt, & non opus est, ut pluribus id adstruamus; is enim qui *διακονίαν* istam ministrorum N. T. negare vellet, Christum summum & unicum N. T. Sacerdotem omnibus privaret ministris, quibus tamen neutiquam privandus est, quemadmodum Summus Sacerdos V. T. typicus suis non destitutus fuit ministris. Conf. Num. III. 6. Qvemadmodum vero omnes *Sacerdotes* & *Levitæ* Veteris Testamenti ea stricte observare debebant, partim *docendo*, partim *ministrando*, quæ ipsis vi Legis Mosaicæ commissa erant; Ita quoque *Sacerdotes* & *Levitæ* N. T. qui in illorum succedere locum, stricte observare tenentur omnia illa, quæcunq; Christus Dominus ipsis in mandatis dedit, & ad universam œconomiam Gratiæ pertinent. Unde quoq; toties *Ministri Christi* & *Ecclesiæ* dicuntur. Sic Paulus, postquam ad Col. I. 24. locutus fuerat de *Ecclesia*, confestim v. 25. hæc addidit: *Cujus*, scil. Ecclesiæ, *factus sum ego MINISTER, juxta dispensationem Dei, qvæ data est mihi, ut impleam verbum Dei.* v. 25. *Mysterium absconditum à seculis, & à generationibus, qvod vero nunc revelatum*

est sanctis ipsius; v. 27. *Quibus voluit Deus notum facere, quæ (sint) divitiæ gloriæ mysterii hujus inter gentes, qui est Christus inter vos, spes gloriæ:* v. 28. *Quem nos annunciamus, admonentes omnem hominem, & DOCENTES omnem hominem in omni sapientia, ut SISTAMUS omnem hominem perfectum in Christo Jesu.* Perpendat itaque Dn. LANGIUS: An simpliciter inter *errores* recenseri debeat hæc thesis, quod Doctores nostri Ecclesiastici sint Successores Sacerdotum Veteris Testamenti, Profitendum nobis omnino est, & quidem candide ac sincere, quod minime probare possimus, quæ *l. c. p.* 173. sequentibus complexus est verbis: Dazu kömt deñ der **Irrthum**/ daß man/ wenn man von den Priester Alten Testaments lieset/ wie sie in der Stiffts-Hütten und im Tempel beschäfftiget gewesen sind/ vermeinet/ es wären solche Personen gewesen/ als unsere Lehrer/ und hätten auch ein solches Ampt verwaltet: Und folglich/ als wenn **unsere Lehrer ordentliche Nachfolger der Priester Altes Testaments wären**/ und unsere Kirchen-Gebäude an statt des Tempels zu Jerusalem da stünden. Welches denn auffs neue keinen geringen Schaden im gantzen Christenthum verursachet. Fatemur lubentissime, si quispiam esset, qui talem foveret sententiam, acsi *Sacerdotum* V. T. functiones per omnia similes fuissent functionibus *Ministrorum* Ecclesiæ N. T. illum omnino errare. Largimur pariter, si quispiam statueret, ædificia nostra cultui divino publico sacrata, esse antitypum templi Hierosolymitani, illum aberrare â veritatis tramite. Ast ubinam illi sunt, qui ejusmodi fovent errores? Hactenus nemo mihi notus est, ne quidem ex imperito vulgo, qui sic sentiat. Et si essent, qui ita sentirent, horum tamen perversa sentiendi ratio nequaquam imputanda foret Doctoribus Ecclesiæ, nisi ostendi queat, esse inter Doctores, qui adeo imperite docent; quod in æternum de Doctoribus Ecclesiæ Lutheranæ nemo demonstrare poterit. Nullum itaque damnum infert Christianismo hæc nostra sententia, siquidem Ministerio Ecclesiastico nil quicquam tribuit vel appropriat, nisi quod eidem juxta œconomiam gratiæ tribuendum aut appropriandum est; nec quicquam reliquis N. T. fidelibus denegat, quod iisdem ulla ratione competere potest. O quam belle incedimus,

cedimus, quando *suum cuique* tribuimus! Hæc omnia â nobis conscripta erant, & ecce in manus nostras pervenit *Mysterium Christi ac Christianismi in fasciis typicis antiqvitatum Biblicarum V. T. Autore* JOACHIMO LANGIO. In hoc libro, ne quid dissimulemus, *P. II. Sect. II. §. 6.* Dn. Autor videtur quadantenus nostræ favere sententiæ: *Tubæ*, inquit, *Sacerdotum, musicæ Levitarum junctæ, qvid denotaverint, facilis est conjectura, scilicet sonum seu præconium Evangelii publicum, & in regno Christi dominantem: qvemadmodum tubarum sacerdotalium sonitus Levitarum concentus superasse videtur.* §. vero 9. hæc habet: *Levitæ janitores utriusqve generis*, h. e. *tam custodes ac satellites atriorum, qvam curatores ac judices, nec non doctores, ipsum Ecclesiæ N. T. antistitum, præfectorum ac doctorum ordinem repræsentasse, res ipsa indicat, PATENTE CONVENIENTIA.* Pergratum nobis fuit hæc legisse, quamvis enim adhuc dubii simus ac incerti: An Dominus LANGIUS in hoc posteriori scripto suam mutaverit mentem, an vero in priori ipsius non plane assecuti fuerimus sententiam, nostram tamen agnoscet integritatem, & veritatis indagandæ studium.

§. XXXVII. Sed deveniemus nunc ad illam thesin jam antea insinuatam, quæ hæc est, Sacerdotes ac *Levitas* V. T. non fuisse typum omnium fidelium N. T. quatenus hi Regali funguntur Sacerdotio, sed potius horum typum fuisse, quoscunque fideles N. T. sacrificia spiritualia non tantum immediate Deo offerentes, sed & corporalia sua sacrificia & quascunque oblationes, fide in Messiam reflexa, sacrario Dei destinantes & exhibentes. Probamus hanc nostram sententiam, *primo* ex dicto illo Exod. XIX. 5. 6. ubi ipse Deus totum populum Israëliticum sic allocutus est: *Si audiendo audiveritis vocem meam, & custodiveritis fœdus meum, eritis mihi in peculium ex omnibus populis. Mea namqve est omnis terra qvidem: Sed vos tamen eritis mihi REGNUM SACERDOTIUM & populus sanctus.* Locus hic peregregie expositus, & cum dicto Petrino 1. Ep. II. 9. satis accurate collatus est â Dn. D. WERNSDORFFIO *in Diss. cit. de R. F. S.* conf. *p. 5. & sq.* ita ut non opus sit quicquam addere, modo notetur, quod omnes vere fideles V. T. æque fuerint *Regii Sacerdotes*, & *Sacerdotales Reges*, ut vere fideles N. T.

N. T. Quis itaque dubitaret, fideles quoscunque, temporibus N. T. gesſiſſe hac in parte typum fidelium quorumcunque Novi Teſtamenti? Accedit *ſecundo*, quod non tantum una eademque titulorum dignitas iisdem tribuatur, ut in utroque fœdere dicantur *Reges* & *Sacerdotes*, non quidem *proprie* tales, interim tamen *ſpirituales*, ſed juxta utramque dignitatem ſua quoque habeant officia erga Deum, proximos & ſemetipſos religioſe obſervanda, quæ tantum abeſt, ut cordatus verbi divini miniſter exequenda auditoribus ſuis, aut aliis Chriſtianis invideat, ut potius quacunque occaſione vel data, vel arrepta hos ad iſtorum excutionem maſcule ac intrepide excitet. Et certe nos quod concernit, optaremus, ut quemadmodum varia habemus ſcripta, in quibus de *ſpirituali* ex profeſſo agitur Chriſtianorum *Sacerdotio*, ita quoque plura extarent, quæ *Regnum* Chriſtianorum *ſpirituale* peculiari opera atque induſtria inculcarent. Interim deprædicare hic habemus pietatem ac ſtudium Dn. THOMÆ LUNDII, Paſtoris Flensburgenſis, cui debemus das geiſtl. Königreich auf Erden / oder die ſo manigfältige Herlichkeit / welche wir von GOtt gewürdigten geiſtlichen Könige hie im Reich der Gnaden beſitzen. *Plœn, 1691.* Quod ſcriptum piis omnibus de meliori commendatum cupimus. Porro in ipſa Scriptura N. T. plura inveniuntur loca, quæ manifeſto docent; Iſraëlitas gesſiſſe typum Chriſtianorum N. T. Conferatur 1. Cor. X. 1. 2. 3. 4. 5. & notetur effatum Pauli v. 6 ταῦτα δὲ τύποι ἡμῶν ἐγενήθησαν; *Hæc autem TYPI noſtri facta ſunt;* & v. 11. ταῦτα δὲ πάντα τύποι συνέβαινον ἐκείνοις, *hæc autem omnia typi contingebant illis.* Et quis ignorat, quod ob identitatem fidei & morum, quæ inter fideles V. & N. T. intercedit, hi ſæpius nomen *Iſraël* quoque gerant? conf. Gal. VI. 16. Imo dicuntur quoque hi *circumciſi in Chriſto* Col. II. 11. Sed nolumus hic exſpatiari, potius ad *novum* nos convertimus argumentum, quod petimus ab identitate *omnium* officiorum, quæ communia ſunt Chriſtianis cum vere fidelibus V. T. ratione *Sacerdotii ſpiritualis.* Ne autem hæc noſtra demonſtratio nimium excurrat, ea tantum conſiderabimus dicta, quæ ipſe Dn. LANGIUS *l. c. p. 175.* adduxit, ut probaret, *Sacerdotium Leviticum* typum fuiſſe corporis Chriſti Myſtici,

ſive

sive omnium fidelium. (1) Citatur locus ex Rom. XII. 1. Requiritur in hoc dicto, ut fideles *corpora sua θυσίαν ζῶσαν ἁγίαν* Deo sistant; idem facere debuerunt fideles Veteris Testamenti. Perpendat Dn. LANGIUS præceptum Sanctissimi Numinis Lev. XIX. 2. & videbit, quod toti toti sancti esse debuerint Israëlitæ, ergo etiam corpora sua Deo offerre necessum habuerunt in hostiam viventem & sanctam. (2) Citatur locus 1. Petr. II. 5. 9. Qvicquid vero in hoc loco ratione spiritualis Sacerdotii dicitur, id omne etiam deprehendimus in fidelibus V. T. Dicitur, quod fideles N. T. tanquam *lapides vivi ædificandi sint in domum spiritualem.* Conferri meretur hoc effatum cum isto Pauli 2. Cor. VI. 16. ubi Paulus ad Corinthios scribens hæc habet: *Vos templum Dei estis viventis; sicut dixit Deus; qvia inhabitabo in illis, & in iis circumambulabo, & ero ipsorum Deus, & ipsi erunt mihi populus.* Perpendat Dn. LANGIUS, ubi hoc Deus dixerit: Et inveniet locum Levit. XXVI. 11. 12. ergo etiam fideles V. T. ædificandi fuerunt in domum Dei & fuerunt templum Dei. Dicitur porro, quod fideles sint *sacerdotium sanctum*, quod offerre debeant *hostias spirituales*, acceptabiles Deo per Jesum Christum: quod sint *regale sacerdotium*, ut *annuncient virtutes* ejus, qui ipsos vocavit in admirabile suum lumen. Perpendat Dn. LANGIUS dictum Ex. XIX. 5. 6. Perpendat 1. Sam. XV. 22. Perpendat Ps. L. 23. LI. 19. Perpendat Devtr. XXIII. 3. 4. 5. sq. Ex. XII. 26. 27. & videbit, nihil hic exigi à Petro, quod non præstitum aut præstandum fuerit à vere fidelibus V. T. (3) Citatur locus Hebr. X. 19. sq. XIII. 15. 16. Sed perpendat Dn. LANGIUS: Annon etiam fideles per sangvinem Christi liberum habuerint ad Deum accessum, & annon hostias laudis & beneficentiæ similiter Deo obtulerint? Conf. Dan. IX. 16. 17. Ps. L. 23. Es. LVIII. 7. (4) Citatur locus Apoc. I. 5. 6. & V. 10. Verum perpendat Dn. LANGIUS: Annon etiam Christus dilexerit fideles V. T. eosdemque laverit sangvine suo & constituerit ipsos Reges & Sacerdotes coram Patre suo. (5) Citatur locus Ps. CX. 3. adcitato dicto Es. LXI. 10. Verum enim vero perpendat Dn LANGIUS, & quotquot ipsius defendunt partes perpendant: Annon etiam fideles V. T. ex spiritu spontaneo sua attulerint sacrificia? Annon amicti fuerint vestibus *salutis* & amiculo

 justitiæ?

justitiæ? Sunt hæc omnia ita manifesta, ut ipse quoque Dn. Langius *l. c. p. 176.* profiteri cogatur: Es war auch denen Gläubigen A. T. gar nicht unbekannt/ daß auch sie bey den äusserlichen Opfern nicht solten bestehen bleiben/ sondern GOtt zugleich die Geistl. bringen. Ps. LI. 18. 19. Nonne itaque, quia fideles V. T. debuerunt offerre sacrificia non modo corporalia sed & spiritualia, præstat dicere, quod fideles quicunque in V. T. fuerint typus fidelium N. T. ratione officii Sacerdotalis; quam quod Sacerdotes Levitici fuerint typus fidelium Novi Testamenti? Denique *ultimum* subnectimus argumentum, quod ita concludit: Si tota œconomia V. T. fuit typica, quod omnino dicendum est, quia de universa *lege* Mosaica dicitur, quod habuerit *umbram futurorum bonorum* Ebr. X. 1. sequitur, quod typus sacerdotum spiritualium non fuerint *Sacerdotes Levitæ*, sed ipsi *fideles* V. T.; aut statuendum est, quod Ministri Ecclesiastici N. T. non pertineant ad bona N. T. quia non fuerunt adumbrati per ullum typum V. T. Qvicunque hanc argumentationem nolunt admittere, videant, quomodo præter *Sacerdotes* & *Levitas docentes* & *ministrantes* typum inveniant ministrorum N. T. Nos certe profitemur, quod alium invenire haud potuerimus. Si forte quispiam *Prophetas* V. T. velit constituere typum ministrorum Evangelii, ut argumentationem nostram enervet, illum rogatum cupimus, ut prius inquirat: An Prophetæ ad œconomiam Mosaicam vel ad legem Mosis referri queant?

§. XXXVIII. Fusius hæc exposuimus, quia constat, quanta hactenus etiam contra profitentium mentem incommoda senserit ecclesia ex ista hypothesi, qua statuitur, *Sacerdotes* & *Levitas* typice adumbrasse omnium *Christianorum* tanquam *Sacerdotum spiritualium*, non dicamus *jura*, [quo termino libenter utuntur secus sentientes] sed *officia*. Notum quippe est, quomodo non *Qvackeri* tantum, *Anabaptistæ* aliique ex hoc principio, *Ministerio Ecclesiastico* se infensos præbeant, sed in ipsa quoque nostra Ecclesia inventi fuerint, qui dum *Sacerdotii spiritualis* typum esse volunt *Sacerdotium Leviticum*, illiusque limites nimium extendunt, *qvibuscunqve fidelibus* in Novo Testamento aliquam ad minimum *publicam docendi libertatem* vindicant. Qvousque hanc extendat Dn. Joachimus Langius *l. c.* ex sequentibus ipsius positionibus facile

facile apparet. *Pag. 178. theſis* ipſius *tertia* hæc eſt: Alle wahre Chriſten haben/ vermöge ihres geiſtlichen Prieſterthums das **Recht**/ können auch zu der Tüchtigkeit gelangen/ ſich/ ohne Nachtheil/ ſondern vielmehr zum Beſten/ des öffentl. Lehr-Amptes **ſelſt untereinander** zu erbauen. *Theſis IV. p. 182.* Das **Recht** und die Pflicht der gemeinſchafftlichen Erbauung gehet bey dem geiſtlichen Prieſterthum/ nicht allein auf Warnung/ Ermahnung und Tröſtung/ ſondern auch auf Lehre/ oder Unterricht von der Warheit/ und auf **Wiederlegung** der **Irrthümer.** *Theſ. V. p. 183.* Wahre Chriſten haben/ vermöge ihres geiſtlichen Prieſterthums/ das **Recht** und die Freyheit/ nicht allein bey ungefehr vorfallender Gelegenheit/ ſondern auch zu **gewiſſer dazu abgeredter Zeit** ſich **daheim** mit **einander** zu erbauen. *Theſ. VI.* Wahre Chriſten haben/ vermöge ihres geiſtlichen Prieſterthums/ das **Recht**/ ja die Pflicht/ die Lehre und das Leben ihrer vorgeſetzten Lehrer zu prüfen. *Theſ. VII. p. 186.* Alle privat-Erbauungen müſſen und können alſo beſchaffen ſeyn/ daß ſie dem Lehr-Ampt keinesweges zum Nachtheil/ ſondern vielmehr zur Beförderung gereichen. Qvorſum hæc omnia tendant, & quantus extiterit harum hypotheſium abuſus, nobis haud eſt incognitum, & triſtis nos condocuit experientia Nolunt quidem nimii Sacerdotii ſpiritualis propugnatores, & quidem qui ipſimet muneribus Eccleſiaſticis publicis præfecti ſunt vel fuerunt, ut per ejus exercitium aliqua Miniſterio Eccleſiaſtico inferatur injuria; aſt occaſione harum hypotheſium non Eccleſiæ modo, ſed & ſacro docentium ordini quamplurima excitata ſunt hactenus incommoda, nec aliter fieri poteſt, quin excitentur, inprimis, quando nimium iſtæ hypotheſes extenduntur. Senſerunt nuperrime illa incommoda incolæ Regni Svecici, quæ propter Clementiſſimus noſter Rex FRIDERICUS, Cui æternum bene ſit, novaturientium moliminibus obicem ponere neceſſum duxit, in Edicto Holmiæ d. 26. Jan. Anno 1726. promulgato, ex quo huc ſequentia pertinent: Wir erkennen es vor eine groſſe Gnade GOttes/ daß unſer Königreich von ketzeriſchen und irrigen Meinungen/ welche wieder die reine Evangeliſche Lehre ſtreiten/ bis auf dieſen Tag unangefochten geblieben/

blieben/ und auf keinerley Weise beunruhiget worden. Weßwegen es nun so viel nöthiger ist/ alle Unordnungen und Neuerungen/ welche sich allgemählig immer mehr und mehr ausbreiten/ und schädliche Folgerungen verursachen könten/ beyzeiten und mit rechten Ernst zu dämpffen/ um auf solche Art allem demjenigen vorzukommen/ so des gantzen Reichs und dessen Einwohner Glück und Wohlfahrt im geistlichen nachtheilig seyn könte. Wir haben demnach aus einer gnädigen und Christlichen Vorsorge für den reinen und unverfälschten Gottes-Dienst; auch damit eine gute Ordnung bey dessen Verrichtung möge gehandhabet und beybehalten werden/ nachdem wir alles mit unsern Reichs Räthen überleget/ vor höchstnöthig und nützlich befunden/ die vormahls ausgegangene Königl. Verordnung/ in Ansehung der unerlaubten Zusammenkünffte/ hiemit folgender maßen zu erneuern und weiter zu erklähren. Die vorigen Verordnungen und Placate verbieten/ wie die klaren Worte lauten/ keine Ubung in der Gottseligkeit/ wie wir denn auch jetzt nicht gesinnet sind/ solche zu hindern; Sondern wollen vielmehr alle unsere getreue Unterthanen insgemein und einen jeden insonderheit darzu in Gnaden ermahnet haben; So/ daß sie sich vor allen Dingen bemühen/ in der Gnade GOttes und in der Erkäntniß unsers HErrn JEsu CHristi zuzunehmen/ wie auch unsern heilsahmen Verordnungen unterthänigen Gehorsahm zu leisten. Zu welchem Ende Eltern und Haußväter aus Christlicher Schuldigkeit können und sollen ihre Kinder/ Angehörigen und Dienstbothen zu Hause im Catechismo und Christenthum unterweisen und von andern unterrichten lassen; Imgleichen nachfragen und verhören/ was sie aus der Predigt behalten/ täglich mit ihnen beten/ in der Bibel oder andern bey uns eingeführten geistreichen Büchern/ lesen/ mithin auf ihr Leben ein wachsahmes Auge haben/ auch ihnen mit guten Exempel in der Gottesfurcht fürgehen. Doch NB. sollen sie sich der tiefffsinnigen Fragen und Streitigkeiten enthalten/ welche denen Einfältigen zu hoch sind/ und zu allen Irrthümern Gelegenheit geben können. Daß aber NB **in** *privat*-**Häusern Männer und Frauen/ Alte und Junge/ Bekandte und Unbekandte Freyheit** haben solten/ sich/ unter dem Vorwand/ daß sie daselbst ihre Andacht und besondern Gottes-Dienst verrichteten/ zu **versammlen**/ über die ordentliche Sonn- und Festtags-Texte zu **predigen**/ die Gebete und neue Gebets-

Formuln

Formuln zu erklähren / NB. wie hin und wieder geschehen / solches erkennen wir NB. weder nützlich noch nöthig zu seyn; Sondern halten es vielmehr NB. **vor eine gefährliche Neuerung** / welche die gute Ordnung NB. in unsern Christlichen Versammlungen störet / und mit der Zeit zur *Licence*, **Mißbrauch** und vielen andern NB. **gefährlichen Unruhen** Anleitung geben könte. Es ist auch ohnedem zu befürchten / daß viele Einfältige / und in ihrem Christenthum Unerfahrne dadurch leicht zu solchen **irrigen Meinungen und Lehren** würden angeführet werden / welche mit **der reinen Evangelischen Lehre nicht überein kähmen**. Dieser Ursachen wegen / weil solche Zusammenkünffte zur Ausübung des wahren Christenthums um so vielweniger nöthig sind / da GOtt Lob! unser Reich den grossen Vortheil hat / daß GOttes Wort bey uns reichlich gelehret und geprediget wird; auch zudem jedermann die Freyheit hat / zu Hause seine Andacht zu halten; so finden wir vor rathsahm / dergleichen NB. unzuläßige Zusammenkünffte abzuschaffen und gäntzlich zu verbieten.

§. XXXIX. Immortales debentur Serenissimo Augustissimoque REGI ac DOMINO nostro grates, quod tam providam tam circumspectam Religionis veræ curam gerere voluerit, & pessimis ejusmodi novitatibus in omnibus Sceptro suo subjectis terris repagulum ponere. Utinam in his acquiescerent omnes ac singuli? Sed redeundum est ad Theologum, qui cum amicis suis hactenus *promiscuos* hominum *conventus*, inque iisdem *docendi libertatem*, nimium extendere annisus est. Quamvis enim hic speciem omnino habere velit, acsi limites non transiliat, patebit tamen contrarium, si modo unam alteramve hic notemus locutionem ab ipso usurpatam. Docet §. IV. Th. III. p. 179. & quidem satis recte: *omnes Israëlitas vi legis* tam *naturalis* quam *moralis revelatæ*, imo! etiam vi Sacerdotii Regis Exod. XIX. 5. 6. ipsis tributi, obligatos fuisse ad mutuam ædificationem. Verum quando mox addit: Haben nun aber dieses Recht und Pflicht bereits alle Israeliten auf sich gehabt / wie **vielmehr** muß es sich denn nicht bey denen wahren Christen befinden? Denn diese sind nicht allein insgemein geistliche Israeliten / sondern auch es sind **die Vorrechte** /

die der Stamm Levi im Levitischen Priesterthum hatte/ auf sie mit einer allgemeinen Zueignung in grossen Gnaden transferiret worden. Non possumus aliter, quam ex his verbis colligere, Dn. LANGIUM in ista esse sententia, quod *omnes prærogativæ*, quas *Levitæ* habuerunt in *docendo*, collatæ fuerint *omnibus* sine discrimine in N. T. *fidelibus*. Quod si verum esset, quæ restaret differentia inter Ministerium Ecclesiasticum & fideles Novi Testamenti? Verum tota hæc nostra Dissertatio contrarium demonstrat, nimirum, quod *prærogativæ Levitarum* in publica doctrinæ cœlestis propagatione, & sacrorum administratione nequaquam translatæ sint ad quoscunque *Sacerdotes spirituales*, sed ad *eos* tantum, quibus *publicum* in Ecclesia Jesu Christi *ministerium* concreditum est. Adeoque *Sacerdotes* mere *spirituales* nil quicquam sub N. T. sibi sumere debent, quod fidelibus V. T. non fuit concessum. Consequenter contrariæ sententiæ Fautores frustra provocant ad *jura* officii Sacerdotalis *omnibus Christianis communia*. Neque ullum sententiæ suæ inveniunt patrocinium in dictis, quæ Dn. LANGIUS p. 180. ex Rom. XV. 14. Eph. V. 18 sq. 1. Thess. V. 11. Jac. V. 19. 20. Gal. VI. 1. Lev. XIX. 17. Luc. XVII. 3. citavit. Omnia quippe hæc dicta ita sunt explicanda, ut eorundem expositio *fidei* sit *analoga*, & *Scripturæ S. concordet*. Non potest autem vel *fidei analogia* vel *Scripturæ concordantia* retineri, si sensum istorum dictorum, ultra privatam institutionem & correptionem velimus ad illas extendere, quæ in tali fiunt cœtu, in quo *promiscua* hominum convenit *multitudo*. *Mulieribus* certe Apostolus in conventibus silentium imposuit 1. Cor. XIV. 34. Et eo ipso, quod Deus, Deus est ordini[illegible]b. v. 33. & *certos* tantum constituit in Ecclesia *Doctores*, 1. Cor. [illegible]II. 28. - 30. qui *probandi* atque sic demum ut *Ecclesiæ ministri* sunt *constituendi* 1. Tim. III. 10. docetur: longe rectius agere, qui libertatem docendi in promiscuis conventibus impugnant, quam qui eandem adstruunt. *Jacobi* effatum Cap. III. 1. abunde docet, quomodo illud ex Cap. V. 19. 20. sit cum reliquis intelligendum. Denique ut alia prætereamus, monemus, Dn. LANGIUM distingvere inter conventus, qui sub *directione* & in *præsentia ordinarii* Ecclesiæ *Doctoris*, & qui *absente Ministro Ecclesiastico* instituuntur. De *his* svadet quidem,

dem, ut *pauci* tantum conveniant, & quidem propter abusus, qui ex multorum confluxu oriri solent; Verum cum ipsemet p. 188. addat: Hingegen von öffentlichen Versammlungen heißt es billig: **Je mehr je besser** / denn da schallet das Wort der Busse und der Gnaden-Beruffung / welches sonderlich der Menge der **offenbahren Gottlosen und Heuchler** zu statten kommen kan; merito hic quæri posset: cur non resp. *piorum & vere credentium, de omni verbo divino* in publico & frequentissimo cœtu annunciato idem valeat? Sed sufficiant hæc.

§. XL. Paucis ut multa complectamur, optamus, ut quilibet Christianus omnibus viribus, ad ea, quæ ad *Sacerdotium*, æque ac ad *Regnum* omnibus fidelibus ex æquo commune, spectant, probe attendat, & utriusque dignitatem ac officia strenue observet ac mascule exequatur; verum quemadmodum sibi cavere omnino debet, ne *jura imperantium* violet, ita quoque ab officiis *soli Ministerio Ecclesiastico propriis* circumspecte abstineat, & in sua, quam adeptus est, functione, Deo & hominibus quibuscunque omni studio inserviat. Ceterum cum hoc argumentum â quamplurimis satis accurate jam tractatum fuerit, omnibus adhuc æquis Lectoribus dijudicandum relinquimus: Annon etiam nonnullorum intuitu, in nostra tempora qvadrent verba LUTHERI *ex præf. in 1. Ep. ad Corinth.* ubi ita inquit: In dieser Epistel vermahnet St. Paulus die Corinther / daß sie sollen einträchtig seyn im Glauben und in der Lehre / und darauf sehn / daß sie das Haupt-Stück / nehmlich / (daß Christus unser Heyl ist) wohl lernen / an welchem sich alle Vernunfft und Weißheit stößt. Denn gleichwie jetz zu unser Zeit / so das Evangelium an Tag kommen ist / finden sich der tollen Heiligen viel / (welche man Rottengeister / Schwärmer und Ketzer heißt /) die allzufrüh klug und gelehrt worden sind / und konnen für grosser Kunst und Weißheit sich mit **niemand gleich oder einträchtig halten.** Einer wil hie hinaus / der ander dort hinaus / als wäre es grosse Schande / wo nicht **ein jeglicher ein sonderliches fürnehme** / und seine eigene Weißheit aufwürffe / welche niemand wiederum kan zu Narren machen So sie doch im Grunde gar nichts von der rechten Haupt-Sachen wissen noch verstehen / ob sie gleich viel mit dem Maul davon plaudern. Also giengs

St.

St. Paulo auch/ da er seine Corinther hatte den Christl. Glauben und die Freyheit vom Gesetz gelehret/ funden sich auch die tollen Heiligen/ und unzeitigen Klüglinge/ zutrenneten die einträchtige Lehre/ und machten Spaltung unter den Gläubigen. Einer wolte Paulisch/ der andere Apollisch/ einer Petrisch/ der ander Christisch seyn. Einer wolt die Beschneidung haben/ der ander nicht. Etliche aber wolten leiblich frey seyn. Etliche Weiber wolten in Haaren gehen/ und dergleichen. Bis sie dahin geriethen/ daß einer der Freyheit mißbrauchte/ und nahm seine Stieff-Mutter zur Ehe. Und etliche nichts von der Todten Aufferstehung hielten. Etliche nicht viel vom Sacrament. Und (in Summa,) es gieng wüste und gantz unordentlich zu/ NB. daß ein **jeglicher** wolte **Meister** seyn und **lehren**/ und mit dem Evangelio/ Sacrament und Glauben machen/ was ihm gut dauchte. Und liessen dieweil das Hauptstück fein fahren und liegen/ daß Christus unser Heil/ Gerechtigkeit und Erlösung ist/ als hätten sie es längst an den Schuhen zurissen. Wie denn solch Stück nicht kan auf der Bahn bleiben/ wo man beginnet zu klügeln und weise zu seyn. Allerding/ wie es auch jetzt uns gehet/ nachdem wir den Deutschen das Evangelium eröffnet haben/ von GOttes Gnade/ da wil auch NB. **ein jeglicher der beste Meister seyn**/ und den heiligen Geist allein haben. Gerade als wäre das Evangelium darum geprediget/ daß wir unsere Klugheit und Vernunfft darinnen erzeigen und Ruhm suchen solten. Daß diese Corinther wohl mögen seyn ein Exempel oder Beyspiel NB. unsern Leuten zu dieser Zeit/ welche auch wohl eine solche Epistel bedürfften. Es muß aber also seyn/ und soll dem Evangelio also gehen/ daß tolle Heiligen und unzeitige Klüglinge Rotten und Aergerniße anrichten/ auf daß die Bewährten/ (wie hie St. Paulus auch saget/) offenbahr werden. Darum straffet und verdammet St. Paulus solche schädliche Weißheit gar ernstlich/ und machet solche Nasenweise Heiligen wieder zu Narren/ spricht schlecht/ daß sie nichts wissen von Christo/ noch von dem Geist und Gaben GOttes/ uns in Christo gegeben/ und sollen noch anheben zu lernen/ es müssen geistliche Leute seyn/ die es verstehen sollen. NB. Weise seyn wollen und Klugheit furgeben im Evangelio/ sey eben das rechte Aergerniß und Hinderniß/ Christum und GOtt zu erkennen/ Rotten und Zwietracht anzurichten/ da mag die kluge Vernunfft und Weißheit wohl zu dienen/ daß NB. eitel tolle Heiligen und wilde Christen werden. Aber unsern HErrn CHristum mögen sie nimmermehr erkennen/

kennen/ sie werden denn wiederum zu Narren/ und NB. lassen sich demüthiglich durchs einfältige Wort Gottes lehren u. führen. Certe ejusmodi exempla plura dedit hoc, & quod proxime elapsum est, seculum. Interim caute hic omnino incedendum, ne vere sanctos & prudentes, stultis ac insipidis annumeremus hominibus, aut pro sanctis & prudentibus habeamus, qui revera stulti sunt ac insipiunt.

§. XLI. Devoluti sumus in meditatione nostra ad eos, qui non adumbrati fuerunt per *Sacerdotium Leviticum*, de quibus cum pro instituti nostri ratione egerimus, redeundum nobis est ad *illos*, quorum *typi* fuerunt *Sacerdotes* & *Levitæ* V. T. Qvamvis autem adhuc plura sint, quorum intuitu hodierni *Ecclesiæ Ministri* opus habeant, ut typum suum imitentur, præcipua tamen tantum attingemus, reliqua propriæ cujusvis industriæ reservantes. Memorabile est, quod *tribus Levitarum* in vindicanda divini Nominis gloria & pro retinendo sincero Sanctissimi Numinis cultu adeo mascule ac prompte mandatum Dei & Mosis, etiam contra proximos suos consangvineos executa fuerit; uti legimus Ex. XXXII. 27. 28. 29. Deo hoc factum pergratum & acceptum fuisse abunde constat ex Devtr. XXXIII. 9. 10. An vero etiam hodie factum illud imitari deceat? merito quæritur. Qvid *Romanenses Theologi* sentiant, qui hæreticos ferro ac flammis excisos cupiunt, notissimum est. Ast dudum observatum fuit â nostratibus Theologis hoc exemplum peculiare fuisse *politiæ Judaicæ*, nec latius extendendum, quia alias sequeretur, quod non *omnes hæretici* sint exstirpandi, sed in *qvosdam* severitatis tantum statuendum sit exemplum, quia per *Levitas* non omnes trucidati sunt idololatræ, sed aliqui tantum, ut illorum supplicio scelus expiaretur, reliqui vero ista severitate ab idololatria revocarentur. Qvando ergo *Levitas* ut *typum* proponimus *Ministris Ecclesiasticis* N. T. minime hoc volumus, acsi per omnia nobis sint imitandi, sed eatenus tantum, quantum indoles & natura *œconomiæ* gratiæ idipsum permittit. Qvænam vero nostræ militiæ arma esse debeant, docuit Ap. Paulus 2. Cor. X. 4. 5. 6. *Arma militiæ nostræ non (sunt) carnalia sed potentia Deo ad destructionem munitionum, dum cogitationes destruimus, & omnem altitudinem, qvæ se extollit contra cogni-*

tionem Dei, & captivamus omnem sensum in obedientiam Christi, & in promptu habemus vindicare omnem inobedientiam. Utuntur ergo Ecclesiarum Ministri *gladio* quidem ast non *ferri*, sed *verbi*. Conf. Eph. VI. 17. Utuntur hoc gladio, non ut ipsi destruantur *homines*, sed *cogitationes hominum erroneæ* ac *perversæ*, quæ se extollunt contra cognitionem Dei; has vindicant gladio suo, & quamcunque inobedientiam aggrediuntur. Nullum habent personarum respectum, sed *patrem* æque ac *matrem*, *filium* æque ac *filiam*, *fratrem* æque ac *sororem*, *amicum* æque ac *inimicum* hoc feriunt gladio, quoties opus est; memores dicti Salvatoris sui, Luc. XIV. 26. *Si quis venit ad me, neq; odit (præ Me) patrem suum & matrem, & uxorem & liberos, & fratres & sorores, imo vero etiam animam suam; non potest discipulus meus esse.* Hæc verba, uti contextus docet, omnes omnino obligant Christianos, quidni ergo sinceros verbi divini *Ministros*, qui sanctitatis & pietatis zelo alios antecellere debent. Eatenus itaque laudabile præbent *Levitæ* exemplum. Nic quicquam conabantur illi ex cœci intellectus impetu, nec ullo carnali stimulabantur affectu, potius quicquid vel ratio, vel caro ipsis suggerebat, id omne Spiritus Sancti gratia suffocabant ac sufflaminabant. Ita quoque hodie decet animatos esse omnes illos, qui *Levitarum* in officio sacro sunt successores. Cavent sibi, ne *hæreticos* pronuncient, quos nulla commaculavit hæresis, neque excusant illos, qui semetipsos tales fecerunt, vel per Diaboli fraudes sunt *hæretificati*. Horrent sinceri Evangelii præcones injustum *hæretificandi* studium, ast horrent quoque *hæreticorum* vere talium abominabile *patrocinium*. Horrent *imputationes errrorum*, ast horrent quoque *errorum dissieminationes*, probe memores, quod paululum fermenti totam fermentare queat massam. Gal. V. 9. Norunt distingvere inter illos, qui *lapsu* quodam *præoccupantur*, juxta Gal. VI. 1. & qui ex *proæresi* delinqvunt; illos spiritu mansvetudinis restaurant, hos vero severius objurgant. Non exercent ministerium suum unice contra *mentis errores*, sed etiam contra *voluntatis vitia*, semetipsos omnium primo respicientes, an ab omni labe immunes sint. Qvodsi vero suis in oculis *trabem* inveniunt, de illa extrahenda magis sunt solliciti quam de *festuca* proximi. Pauca hæc pia intentione menteque coram Deo integer-

tegerrima, ad infallibilem veritatis trutinam scripsimus, rogamus itaque omnes & singulos hæc legentes, ut quisque suimet-ipsius accuratum instituat scrutinium, minime vero hisce meditationibus nostris, iisdem siniſtre & plane contra mentem nostram applicatis ullo modo abutatur.

§. XLII. Egregie commendat ipse Deus antiqvum *Levitarum* pietatis studium apud Malach. Cap. II. 6. *Lex veritatis fuit in ore ejus & perversitas non est inventa in labiis ejus: In pace & rectitudine ambulavit mecum, multosqve avertit ab iniqvitate.* Qvis ergo fidelis & genuinus Verbi Divini *Minister* hocce sibi non haberet exemplar commendatissimum, præprimis, cum ipse Supremus Magister ac Dominus noster Jesus Christus, perfectissimum vitæ Ministris suis reliquerit exemplar, & sancti ipsius Apostoli, in Epistolis suis omni nisu id urgeant, ut quotquot sacra subeunt ministeria, irreprehensibiles sint ac inculpabiles. Loca ipsa huc spectantia allegare supersedemus, siquidem notissima sunt, & ex parte expressa inveniuntur in *forma ordinationis*, quæ in Ecclesiis nostris adhibetur, quoties aliquis ad sacrum munus inauguratur. Utinam frequentius illa ex ipsa nostra Ordinatione Ecclesiastica relegerentur, vel etiam singula ista loca, quæ eo collimant, ab omnibus in sanctiori Ministerio constitutis excerperentur, memoriæ mandarentur, & singulis momentis religiosissime observarentur! Verum enim vero, quis nostrum inficiari potest, respectu multorum etiam hodie repetendam & ingeminandam esse justissimam illam querelam Sanctisimi Numinis Mal. II. 8. 9. *At vos recessistis à via, impingere feciſtis multos in lege, corrupistis fœdus Levi, dixit Jehova Zebaoth. Ideo etiam dedi vos contemptos & humiles toti populo: eo qvod vos non (estis) custodientes vias meas, sed accipitis facies in lege.* Non probamus opprobria & convitia, quibus multi nimis inconsiderate, vel olim, vel nostra insurrexere ætate contra fideles Jesu Christi servos; ast dissimulare non possumus, quod multi quoque ex *filiis Levi* lixivio indigeant. Cum judicio proinde & probationis spiritu legendi sunt libri de hoc argumento conscripti, quibus etiam annumeramus Tractatum, qui in *Anglia* primum lucem adspexit, postea au-

tem in *Flandria* idiomate huic Provinciæ familiari impressus, & tandem opera Georgii Michaelis Laurentii, Pastoris Tutlebiensis in Germanicam lingvam translatus est, rubrum gerens: Reinigung der Kinder Levi. Fatemur, multa in hoc libro contineri lectu dignissima, ast quæ afferuntur remedia ex parte ita sunt comparata, ut Autorem nimium sapuisse dicere habeamus. Ex toto pectore rogamus ac obtestamur omnes, quotquot nobiscum in sacro Ministerio constituti sunt, ut vitam suam componant ad præscriptum verbi cœlestis. Quicquid hoc tradit ad mores nostros formandos, illud accipiamus, illud exprimamus, illud agamus; Quicquid vero hoc verbum nobis interdixit, illud omne fugiamus, detestemur atque abominemur. Demus in ruborem, quotquot ordini nostro adversantur, & turpissimi *Carnalismi* vitium nobis objectant; abstergamus vita pura ac defecat omnem maculam nobis adspersam, eidemque nos totos purgandos ac emendandos tradamus, qui non modo fideles quoscunque sed *filios* quoque *Levi* purgare quotidie allaborat. Interea caveant sibi, qui nimis in numerandis aliorum vitiis iisdemque censendis ac recensendis sunt perspicaces. ne *virtutes* numerent inter *vitia*, eos vero, quos emendare cupiunt, sic emendent, quemadmodum ipsi ab aliis emendari gestiunt. Det nobis omnibus Sanctissimus Jehova Spiritum rectitudinis, ut hic nos illuminet ac in omnem veritatem ducat, quo in pace ac rectitudine cum Deo & coram Deo ambulare, multosque avertere valeamus ab iniquitatibus suis. De cetero legi merentur, quæ Fridericus Balduinus habet in Comm. suo in Malach. de modis, quibus Ecclesiæ Ministri reprehensibiles fieri possunt, ut & de pœna, quæ iisdem â Deo per Malachiam dictata est.

§. XLIII. Ad finem hujus Dissertationis properantes & illud notamus, quod Deus graviter quidem increpaverit *Levitas* â via recedentes, minime vero eosdem confestim sua privaverit dignitate, aut qualecunque ipsorum Ministerium, quatenus recte administratum fuit, inutile sive inefficax pronunciaverit; potius observamus, quod in iisdem corrigendis & emendandis omnem

omnem navaverit operam. Discamus itaque, quomodo & hodie nos gerere debeamus erga illos Ecclesiæ Ministros, qui vel in doctrina errant, vel moribus suis scandala præbent. Sunt, qui errant ex ignorantia, vel quia â Præceptoribus suis istas, quas fovent, erroneas hauserunt hypotheses; vel etiam ista sunt in persvasione, quod sententia sua quam maxime sacris literis sit conformis. Paulus multa imbiberat in Scholis Phariseorum, pro quibus ad tempus acriter certabat, adeo ut vere in Christum credentes crudelissime persequeretur; verum quia ex ignorantia peccaverat, misericordiam invenit 1. Tim. I. 13. Sunt qui fundamentum fidei arcte tenent, nec ab eo se divelli patiuntur, interea tamen præter aurum, argentum, & lapides pretiosos, *lignum* quoque, *fœnum* & *stipulam* super illud superædificant, juxta 1. Cor. III. 12. Sunt, qui Christum prædicant per *invidiam* & *contentionem*, juxta Phil. I. 15. Interea tamen Paulus in eo gavisus est, quod Christus fuerit prædicatus. Num itaque ejusmodi errantes statim ab officiis suis sunt removendi. Num in exilium mittendi? Absit? ut ita statuamus. Quis nostrum est, qui sese ab omni errore immunem pronunciare valeat? Ipse Dominus noster Jesus Christus multa cum longanimitate suos toleravit discipulos, quibus Evangelii quoque commiserat annunciationem, etiamsi intellectus ipsorum multis adhuc repletus erat præjudiciis erroneis. Interim, quemadmodum Dominus, quacunque occasione, in eo omnem navabat operam, ut discipulorum suorum mentes liberaret â præjudiciis & erroribus, ita quoque nobis incumbit, si aliter majori veritatis luce præditi sumus, ut errantibus luce veritatis præeamus, & multa cum mansvetudine eosdem in veritatis consortium pertrahamus. Alia vero est ratio, si in ipso fidei fundamento errent Ecclesiæ Doctores, si præfracte errent, si inanis gloriæ ergo nolint errores suos missos facere, si eosdem defendant, si alios seducant, tunc ne ad horam quidem ipsis cedendum est. Gal. II. 5. Liberrime in tali casu profitendum est cum Apostolo Gal. I. 8. *Si nos aut Angelus è cœlo evangelizáret vobis, præter id, qvod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Et ex Cap. V. 10. *Qvi vero turbat vos, portabit judicium; qvisqvis fuerit.* Item v. 12. *Utinam etiam abscindantur,*

qui vos inqvietant. Qvod vero *ſuſpenſiones* & *remotiones* concernit, de iisdem exercendis illis committamus judicium, quibus hæc competit poteſtas; hi enim, ſi ſuis non ſatisfecerint officiis, graviſſimum aliquando experientur idque divinum judicium. Interea, quamdiu Miniſter Eccleſiæ, ſive *hæreticus* fuerit, ſive *ſchismaticus*, ſive *impius*, ſive *hypocrita*, ex divina longanimitate toleratur in officio ſuo, & officium ſuum ita adminiſtrat, quemadmodum adminiſtrandum eſt, ipſius Miniſterium efficax eſt & validum; quia hominum incredulitas fidem Dei non tollit. In iis autem, quæ non ad amuſſim verbi cœleſtis docent, nullum ipſis præbendum eſt obſequium, quia plus Deo obediendum eſt quam hominibus. Sunt Miniſtri, quam diu in officio ſuo ſunt conſtituti, ut Dei Miniſtri audiendi, quando Dei verba proferunt. Et profecto omnem meretur attentionem, quod omnes Levitæ fuerint legitime à Deo vocati, etiam illi, quorum corda minime erant integra coram Deo; item, quod ipſorum miniſterium validum fuerit ac efficax, quamdiu ad normam legis Moſaicæ illud inſtituerunt. At quando perverſa docuerunt, non fuerunt audiendi, & quando in Miniſterio ſuo quoad ipſa *ſubſtantialia* receſſerant à norma ſibi præſcripta, tunc ipſa quoque actio ipſorum inanis fuit & nullius momenti. Par eſto judicium de hodiernis Eccleſiæ Miniſtris. Ceterum, quorumvis non recte ſatis, non pie ſatis ac religioſe incedentium, corda, ut Chriſtus purget ac emendet, iterum iterumque precamur.

§. XLIV. Paucis adhuc quædam addere liceat de *dignitate* ac *mercede Levitarum.* Magna certe erat hujus tribus dignitas, quatenus, licet non omnes intimioris, ſingularis tamen apud Deum fuerant ut Miniſtri ejus admiſſionis; concredita ipſis fuit cuſtodia omnium ſacrorum, & magnæ fuerunt apud Iſraëlitas autoritatis. Notum eſt, quod lapides pretioſi, juxta ordinem filiorum Iſraëlis appoſiti fuerint pectorali Aaronis, & tribus Levi notata fuerit ברקת. Diverſas diverſorum de hoc lapide collegit ſententias Ludovicus *de* Dieu in Animadverſ. ſuis in Exod. Cap. XXXVIII. & XXXIX. Omnium primo adducit ſententiam *Onkelos* & *Jonathan*, qui Hebræum ſervant etymon

tymon & ברקת vertunt à ברק fulgur fulgetrum, quia est *lapis fulguris coruscationem imitans.* Postea Danæi adducit verba: *Est carbunculus Rubini species ea, quæ omnium pulcherrima & præstantissima est, & lucem tanquam fulgetri nobis eum procul intuentibus jaculatur, adeo ut in media nocte & tenebris etiam luceat. Hæc gemma nomen Levi habuit, quia in ea tribu & familia splendor maximus totius populi Israëlitici positus fuit: Siquidem munus Saterdotale illi tribui specialiter demandatum consideres.* Qvicqvid vero sit de lapidis hujus fulgure ac præstantia, hoc certissimum & extra omne dubium positum est, maximam fuisse hujus tribus dignitatem, quia peculiare Deus cum ista fœdus iniit, uti ex locis supra adductis claret. Nec minor est dignitas Ministerii Ecclesiastici N. T. Quamvis enim hominum mundanorum contemptui & ludibrio expositum sit, magnum tamen & pretiosum est in oculis Dei & quorumvis Sanctorum. *Ministri* sunt *Christi & Oeconomi Mysteriorum Dei*, quotquot Ecclesiæ Jesu Christi in his terris militanti inserviunt. Unde Paulus scribit 1. Tim. V. 17. *Qvi bene præsunt presbyteri, duplici honore digni æstimantor; maxime qvi laborant in verbo & doctrina.* Et certe si digni fuerunt honore, qui serviebant quondam umbræ, multo magis honore digni erunt, qui serviunt corpori. Absit, absit itaque, ut cum hominibus hujus seculi vilipendamus eos, quos Dominus hujus universi ut suos æstimari vult legatos; hos qui contemnit ipsum Deum contemnit, hos qui audit ac honorat, ipsum Deum audit ac honorat, juxta Luc. X. 16. Non solum honore cumulaverat Deus tribum Levi, sed de mercede quoque eidem prospexerat atque stipendiis largissimis. Dignum quoque operarium esse mercede sua sub N. T. ipse Dominus edisserit. Luc. X. 7. & Paulus 1. Cor. IX. 14. provocat ad hoc effatum Domini, scribens: *Sic etiam Dominus ordinavit iis, qvi Evangelium prædicant, ut ex Evangelio vivant.* Sed nolumus diutius hisce immorari, ne pro nostra videamus differere vel dignitate, vel mercede. Edidit Christianus Thomasius anno 1707. dissertationem de officio Principis Evangelici circa augenda salaria & honores Ministrorum Ecclesiæ. Integram hanc dissertationem excerptam invenire datur in institutioni-

bus

bus juris Eccleſiaſtici in uſum Auditorii Pfaffiani. p. 202 & ſq. Non immerito PFAFFIUS eandem nominat elegantisſimam, neque nos aliter poſſumus, quamvis reliqua hujus Viri minus recte vel dicta aut ſcripta, minime noſtra faciamus, quin lectionem hujus diſſertationis omnibus & ſingulis commendemus. Qui ejus compos fieri nequit, delectabitur etiam illis, quæ in compendio nobis dedit Dn. PFAFFIUS. Nos devota mente Deo Optimo Maximo humillimas perſolvimus grates, quod ipſius voluntate excitati, ipſiusque favore adjuti, hunc laborem non ordiri tantum, ſed in tantum quoque abſolvere potuerimus. Multa quidem in ampliſſimo hoc dicendi genere intacta manſerunt, ſed alia nos avocarunt ab ulteriori meditatione negotia. Æqvum poſtulamus Lectorem atque Cenſorem, qualem promittimus omnibus, quorum ſcripta legimus. Ceterum omnes iniqui Miniſterii Eccleſiaſtici Oſores probe perpendant, quo ivoto ſuam tribus Leviticæ benedictionem clauſerit Moſes, *Benedic Jehova robori ejus* (ſc. Levi) *& opus manuum ejus accepta: Percute lumbos inſurgentium contra eum & Oſorum ejus, ut non reſurgant.* Nos vero pro omnium hominum converſione & ſalute ſuſpiria ac vota emittimus: Miſereatur omnium Deus miſericors per & propter Filium ſuum,

Cui cum Patre & Spiritu S. ſit Laus, Honor &
Gloria in ſeculorum ſecula,

Landesbibliothek Oldenburg